DXII

C. 125

44092/C

A
1467

ℳ10 –

Pritzel 7637

13 ff.
195 ff.
1 ff.

Coll. J. G.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30411476

42853

LUDOVICI A RIPA

VENETI

HISTORIÆ UNIVERSALIS PLANTARUM

SCRIBENDÆ PROPOSITUM

ADDITO SPECIMINE.



PATAVII

Typis Jo. Bapt. Conzatti.

MDCCXVIII.

Superiorum Permiſſu.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Viris Illuſtriſſimis & Excellentiſſimis

AMPLISSIMIS SENATORIBUS

FRANCISCO SUPERANTIO

D. MAR. PROCUR.

LAURENTIO THEUPOLO

EQU. ac D. MAR. PROCUR.

MICHAELI MAUROCENO

Et Reliquis Univerſis

GYMNASII PATAVINI

MODERATORIBUS

OPTIMIS GRAVISSIMIS

LUDOVICUS A RIPA VENETUS

F.

Contemplatio Naturæ numeratur inter illa quæ mentem humanam ſevocatam ab oculis attollunt feruntque ſublime, & recte atque ordine ſpeculantem perſcrutantemque, in arcem ipſam templumque ſa-

ſapientiæ, cauſam principem, bonum divinum, ſempiternum, beatumque deducunt. Scientiæ autem conſiderantis Naturam pars eſt nobilis & clara in primis Doctrina Herbarum, *indagatrix rei ejus, in qua parens effectorque operum omnium præbuit ſuſpiciendam virtutem ſuam non minus quam ubi maxime inſignem & admirabilem patefecit. Inde præclare philoſophantium fuit etiam ſingulare quoddam & exquiſitum ſtudium Botanicum: judicioque prudentum, iis qui Cœlos ac Sydera, celſa illa corpora & ingentia notarent, habiti pares laude ſunt quicunque Herbas vel humillimas & minutulas introſpicerent: artem quippe ſuam induſtriamque conditor Deus, juxta ac in immenſis illis, prodidit in his exiguis, quin excellentius hìc quam illic. Plantæ enim vivunt; ac earum naturam non aliunde perſpici melius nec aptius explicari, quam ex iis quæ in Animalibus obſervamus, Theophraſtus ait* Hiſt. lib. 1. c. 1. *tanta ſimilitudo & affinitas eſt. Nutriuntur & hæ, augentur, generant: ut adoleſcunt, ſic etiam ſeneſcunt, ac tandem moriuntur: exhi-*

laran-

larantur & luxuriant, tum etiam triſtantur & tabeſcunt: diſcrimen quoque ſexus animadverſum, & proprietates juxta illum attributæ; mares, fœminæ, cœlibes, maritæ, viduæ, pudicæ, fœcundæ, ſteriles, ἀναλόγως cognomina alia: naturalis quidam cernitur amor & averſatio, dum & ſibi appetunt convenientia & diſſidentia refugiunt: ingenium quoddam inſitum, patiens juſſi in aliis, recuſans in aliis; ſentiens cœli ſolique, proque horum ſympathia vel antipathia, ſequax aut contumax, blandum aut agreſte, felix aut infelix, reſpondens malignumve ſerenti. In ſtructura vero partium & organorum apparatu atque uſu conſenſio quanta! membrana, cutis, caro, medullæ, venæ, nervi, fibræ, calor nativus, humor primigenius, temperamentum, ſanguis, cor, ſpiritus, anima, in Animalibus, at etiam in Stirpibus. Plantarii certe Viri lynceo acumine & dædala manu penetrantes in receſſus ſecretiſſimos & quaſi intima viſcera pervadentes contuiti ſunt & demonſtrarunt huic ætati ſimillimum fermeque eundem Animalium & Plan-

ta-

tarum modum generationis, nutricationis, vitalitatis: ſemen harum ovum quoddam ſuis involucris conveſtitum: umbilicalibus canaliculis alimentum eo trajectum, latentique fœtui ſuppeditatum: lacteas veluti venas, fiſtulas ac tubulos quoſdam per corticem decurrentes, ſuccumque nutricium ceu ſanguinem perpetuo circummeantem deferentes propagenteſque in partes omnes: trachæas denique & veſiculas continentes aerem, quem alterna contractione & dilatatione motus continuo ciet, viventium & ſpirantium ſyſtolem ac diaſtolem imitatus: complura alia, quorum αὐτόπται & αὐτοδιηγούμενοι *Recentioris inquiſitionis ſagacitatiſque Botanicæ coryphæi. Cognatio tam arcta quondam nonnullis impoſuit, haudquaquam excordibus. Plato enim divinus* καὶ τὰ φυτὰ ζῶα κέκληκε. & *Stoicæ ſectæ pater Zeno Cittieus credidit, Plantarum ſemen* μετέχειν πνεύματος, καὶ τῆς ψυχῆς εἶναι μέρος τι καὶ ἀπόσπασμα. *narrat Theodoretus* lib. 5. Affect. Græc. *quod prave arripuere Manichæi ut judicarent Plantas ſentire, & cædem committere qui de arbore vel folium decerperet: confutati a ſapientiſſimo Pa-*

trum

trum D. Auguſtino Hæreſi XLVI. *Attamen Opificium admirati Philoſophi quidam affirmaſſe putantur minime perperam* plantam eſſe inverſum hominem, *nimirum, poſitu aliud opus illud, figura aliud* θαῦμα *illud, hymnis dictum decantatumque alte magnificeque ſonantibus; at nullis unquam ſatis æquatum aut æquabile, contingant licet* πάνσοφοι καὶ πάνφωνοι ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι, *ſumentes celebrare conſtructionem Humani Corporis: Cujus nihil opus erat partes omnes per anatomen eruere, Galeno teſte* De Uſu part. lib. 17. cap. 1. *cum una quævis extrinſecus conſpecta ſatis eſſe poſſet ad artem ejus qui ipſum condidit, oſtendendam; cum ſit nemo amens adeo aut naturæ operum ita inimicus, qui non ex cute ſtatim & iis quæ primum occurrunt & in promptu ſunt, Opificis ſolertiam intelligat, & quod prius exiguum eſſe ſibi videbatur, perfectiſſimæ theologiæ principium verum firmumque conſtituat. Propterea evenit ut mirandi hujus quod eſt Homo, pene gemellum alterum quod Planta eſt, naturæ* ἀπόρρητον *ſitum in Plantis, cordi fuerit non ſolum Philoſophis, naturæ fa-*

** *mi-*

miliariſſimis illis & congerronibus, ſed etiam Regibus, quorum deſcendiſſet in pectus Philoſophia, rerumque ſublimium & arcanarum amor feciſſet nomine & animo Reges; habitumque ſemper Regale ſit, ut hominum, ita & Stirpium genus, rationes, commoda, fortunas, ſalutem, dignitatemque impenſa diligentia ſtudioque vigili procurare. Horti effloruere hinc, Principum ſummorum Procerumque ſumptibus inclyti citraque fabulas memorandi, conſiti, alti, educati, compti, exculti ita baſilice, ut in ſimulatis ſuis confinxerint minora poetæ: adeo copia nulla, elegantia nulla, ſupellex nulla abeſt; ſed quidquid uſpiam inuſitatum & rarum eſt natura vel arte, collectum noſtris præſertim temporibus convectumque habent Herbarum Plantarumque Domicilia illa, quæ Potentes & Opulenti eſſe voluerunt monumenta Herbariæ gloriæ ſuæ, & argumenta magnificentiæ Botanicæ vere Regalis, Voluptatem oculis, aſt magis multo Animis, laute opipareque præparatam. VESTROS PATAVINOS HORTOS *ajo, nullis ſplendore ſecun-*

cun-

cundos , utique origine ante quoslibet ; SERENISSIMA VENETORUM RESPUBLICA, PRÆSTANTISSIMI REI LITERARIÆ MODERATORES, Autores habiti primi , Repertoreſque Inſtituti hujus longe pulcherrimi ; exemplum & norma Magnis Principibus aliis ſtatim ſecutis : Ut Herbæ ſparſæ diffuſæque per omnia loca terrarum convocarentur in unum , fieretque una veluti undequaque convenarum Domus : itineribus longinquis & arduis ad Orientem & Occidentem peregrinæ conquiſitæ , Indicæ , Perſicæ , Arabicæ , Syriacæ , Ægyptiæ , Creticæ , Hiſpanæ ; omnigenæque , terrenæ , aquatiles , campeſtres , montanæ , ſylveſtres , litora , valles , ſaxa , rupes , acceſſa habitantes & inacceſſa , in Herbarium Patavinum adducerentur : hic beneficio veſtro immortali certa extra patriam ac ſtabili ſede potitæ , Hoſpitalitatem Venetam quam ſentiunt extera cuncta , ſentirent & ipſæ ; ex magnitudine & dignitate Excipientium incolerent ; degerent non ſolum ſoſpites & inviolatæ , munitæ vallatæque propugnaculi inſtar muro valido ambiente Hortum

Sphœricum, ſed etiam molliter degerent ſuaviterque, concinna ſerie exactoque ordine claſſium, generum, ſpecierum, ſimilium, propinquarum, conſanguinearum diſpoſitæ in Horto, diviſo e centro ſuo in Quatuor Quadrantes, comprehendentes amplitudine ſua totidem Hortos, Quingentis hos Areolis in Stellas Roſaſque digeſtos in Planicie vaſta, aprica, refecta interne & externe fontibus, amænis ubique recreata ingenitis & aſcitis, Viridantis Amphitheatri regione tota nativis artefactiſque ad tutelam, commodum, ornatumque Plantarum ſalubriter, opportune, venuſteque diſtincta; ac ne ſoſpitale quidquam deeſſet & honorificum, affuſa etiam religione quapiam collocatis inter Templa duo, mole & ſanctitate veneranda præ aliis, D. ANTONII & D. JUSTINÆ, quæ Numina ſunt ſemperque fuerunt præſentia & fauſta cuicunque Venetæ rei: Conditi Perpolitique diſpendio inſolito & incredibili, interim voluntati reſponderent AUGUSTI SENATUS, Horti non Alcinoi, non Adonidis, non Heſperidum, Horti

nu-

nugaces, ſed introeuntibus & inviſentibus Myſteria Naturæ, Sapientiæ reconditæ Spacia eſſent, latæ Mentis Viæ; Ambulacra luculenta Ingenii, Lycea Iatriæ divinæ; amarent eſſe & nominari HORTI PUBLICI MEDICI VENETORUM. *Fatigem immodice aures veſtras*, MODERATORES EXIMII, *ſi coacervem Scriptorum laudes extollentium Inventum, evehentium uſque ad cœlum Prudentiſſimos Venetos Patres volentes jubenteſque fieri; large commendantium ducem conſilii executoremque primum Franciſcum Bonafidium Profeſſorem Patavini Gymnaſii, virum doctrina incomparabili; tum inſigniter celebrantium ſuaſorem hortatoremque vehementem* DANIELEM BARBARUM *Patriarcham Aquilejenſem, fama gravitatis & eruditionis immortalitati conſecratum: ac ſi enitar & contendam, profecto nequeam præconia perſequi concordi omnium voce conſenſuque tributa Duobus, qui tunc temporis* MODERATORES ACADEMIÆ PATAVINÆ, *fuere Operis Auſpices; facto vel hoc uno noſcendi ſeculis omnibus;*

SE-

SEBASTIANUS FOSCARENUS, & NICOLAUS THEUPOLUS, ſanguis Hic tuus, LAURENTI THEUPOLE, ſpectatiſſime Eques, Procurator, & Moderator, ex eadem progenie merita ſemper optime de Republica deque Literis; o adepte jam ſumma omnia florenti adhuc ætate, greſſus jam per omnia ſumma, ubique illibatus, prudens, magnanimus, par ubique claritati tuæ, par Venetæ Majeſtati, quocunque te Patria Legavit Arbitrum ſuum, Perſonam ſuam: Legavit autem ad Amicos Reges pene omnes; perfunctumque Legationibus, domi habet æquantem vi conſilii animique virtute impoſitarum pondera rerum. In multitudine velificantium Honori Botanico Veſtro laſſatura, liceat tamen ex omnibus non præterire inauditumque dimittere laudatorem, judicem, æſtimatoremque maxime idoneum, ſuſpectum nullius benevolentia nimiæ, quippe alienigenam procul hominem eundemque ſcientiſſimum negotii Hortenſis, peritiſſimumque quid actum ubivis in eo uſque ad tempora ſua: Petrus Hotton Amſtelodamenſis eſt, qui ubi Rei Herbariæ Hiſtoriam & Fata

adum-

adumbrat Sermone Academico in Academia Lugduno-Batava conventu frequenti Ordinum lectiſſimorum: " At noſtris temporibus, inquit, "primam ejus rei curam ſuſcepit SERENISSIMA VENETORUM RESPUBLICA; "neque enim ab ullo, in nobiliſſimo hoc ſplendidiſſimoque conſilio, a renatis literis præventam fuiſſe comperio. Factum autem id quadrageſimo ſuperioris ſeculi anno (MDXL) "quo Hortum ſuum Patavinum inſtitui curavit: qui & merito ſuo eſt celeberrimus & Præfectos ſemper habuit viros longe eruditiſſimos. "Pergit. Septennio poſt, SERENISSIMAM "REMPUBLICAM imitandi ſtudio incenſus Magnus Etruriæ Dux Coſmus Mediceus, "alterum Piſis Hortum inſtituit. Atque ex eo "tempore paſſim per Europam coli ejuſmodi Horti & inſtrui cœpere. Hactenus ille vera omnia: vere affirmat recteque & id, Hortos Patavinos multum inclaruiſſe etiam præſtantia eorum qui Præfuerunt. Hotton doctiſſimus utinam viveret & audiret tantopere pervagata de Publico Rei Herbariæ Profeſſore Felice Viali,

qui

qui Præfectura fungitur nunc: nihil enim eſt aut in cognitione Herbaria tam a vulgari intelligentia remotum, nihil tam ſollicitum in curatione Plantaria, nihil in omni officio elegantiſſimæ ſpartæ hujus tam ſingulare, quod non eius ſit jure præcipuo. Præter ſcientiam abſolutiſſimam ſtudio uſuque annorum plurimorum comparatam, quam in illo adamant & ex illo fruuntur Botanices appetentes: videntur Horti ipſi navum ſibi & nunquam ceſſantem cultorem gratulari. Præeunte eadem VENETI SENATUS ſapientiſſimi autoritate foventis cuncta & excitantis liberalitate Regia ſua; SENATUS poteſtatem voluntatemque opera Præfecti ſequente advigilantis anxie in munere & ſtrenue adlaborantis; nova poſtremo facies pompaque nova eſt Hortis induta: aliud quaſi Theatri proſcenium, veſtibulum, proſpectus, habitus, figuraque alia nata renatave formante Viali, in valvis Portarum, in Herbarum clathris, in Quadrantium peripheriis, in Metis itinerum, in Angulis ſemitarum, in Aquis ſubeuntibus, alluentibus, ludentibus, in du-

ductibus, in emiſſariis: in omnibus neceſſariis voluptuariiſque eminet Præfecti providentia & dexteritas: qui jam per annos triginta quinque intentiſſimus huc, ſedulitate meditans agenſque irrequieta, utilibus utiliora, pretioſis pretioſiora ſufficiens, fortuita aberrantia emendans potioribus artificialibus, damna temporis corrumpentis & exedentis omnia, ſarciens melioribus ſubſtitutis; Patavinos Hortos, abſit invidia, eximie fabricatos ſubinde ab aliis, ipſe unus, PRINCIPE SERENISSIMO annuente & erogante, perfabricavit. Qui reliquus expectari videbatur nitoris apex manuſque poſtrema graphico undequaque molimini, cœpit jam admoveri: Podia lapidea in muro ſummo perennia æqualiter: qua illum Portæ ſcindunt, Heroes ingentes ſculpti e marmore, ex Atriis carpino circumeunte denſa lætis ſtantes alte in Hortos: interjecta per intervalla procurrentes ſpacio belle dimenſo Herbæ alternis Herbariique: ſuffulta baſibus ſaxea Vaſa ore expandunt illas æneas, referunt hos aſſimilata Capita & Pectora: Horti penſiles,

*** & pen-

& penſile Hortenſe Concilium: jamque Lyncei adſtant Columna & Saracenus; adſtabunt deinceps Penates ceteri Viridariorum NUTU VESTRO: inter hos Indigetes Patrii quoque, Patavini Botanici Præfectique, dubio procul aliquando benevolus etiam & beneficus Loci Genius, Felix Viali. Nec ſane vereor, OPTIMI NOBILISSIMIQUE MODERATORES, ne erga hunc videatur intemperans amor meus, de quo ipſi Vos judicia omnino præclara feciſtis, & quem cumulate exornaſtis Publicis Decretis Veſtris, conceſſa tandem petenti Seni probatiſſimo ac meritiſſimo facultate Nominandi apud Vos, quem integre fideliterque crederet dandum ſibi a Vobis Adjutorem laborum eorum, quibus per ætatem confectam amplius obeundis non ſatis ipſe eſſet. Benignitate in ſe Veſtra ſtatim ille uſus, Nominavit me, quem pridem noverat amantiſſimum ſui ſtudiorumque ſuorum, & viderat ab ætate prima mea Rei Botanicæ Doctrinæque deditum unice & addictum. Admiſſus receptuſque a Vobis, ex ea die non deſtiti opinionem teſtimonio Felicis Viali de

me

me ſuſceptam confirmare & augere conatu omni, ne quando aut illum ſententiæ ſuæ publice expromptæ MAGISTRATU GRAVISSIMO *interrogante, aut Magiſtratum collati ex ea probata beneficii ſpecioſiſſimi pœniteret. Junio menſe hinc proximo adeſſe & inſervire in Horto aggreſſus, audire quotidie & obtemperare, quidquid eſſet ad quæ me vellet paratum & alacrem, documenta auſcultanda & præcepta facienda, ſubſtiti: prohibuit enim ab Herbis & Horto incrudeſcens anni tempeſtas, infeſta operæ omni præſtandæ ibi utiliter. Receſſi, ut qui tamen non mentem & animum ab intercluſa provincia removerem; ſed hyemale ipſum ocium & Horti ſilentium ceſſationemque ſtatuerem eſſe mihi adhuc tranſigenda inter Hortenſia. Appuli me totum, meque totum abdidi cogitatione attenta iis revolvendis, tum quorum magiſtra mihi diuturna conſuetudo cum Felice Viali,* Γεροντοδιδασκάλῳ *illo, Præceptore juvenumque ſenumque; tum quæ in Horto per me obſervaram, & in Plantarum privato examine, quaſi in explicato Volumine quodam grandi, aſ-*

ſidue legeram ac relegeram: interea complures etiam Scriptores Botanicos, Latinos, Græcos, Antiquos, Recentes, Medios, quorum præſertim nomina excellunt in Schola noſtra, cupide avideque percurri. Conferens tandem una omnia, animadverti, quanvis incredibile dictu ſit, quantopere Viri præclariſſimi in hac Facultate laborarint ſudarintque; nihilominus earum, quæ uſque ad diem hanc manarunt in lucem UNIVERSALES HISTORIÆ PLANTARUM, *nullam revera eſſe* UNIVERSALEM. *Tacitus hoc qui deprehendi aut deprehendere ſum mihi viſus, cœpi etiam mecum tacite meditari an comperiri via & ratio poſſet* UNIVERSALIS HISTORIÆ *conficiendæ, quæ vere eſſet appellarique jure poſſet* UNIVERSALIS. *Opinione quidem mea compertam decrevi patefacere, aperire conſilium meum, judices convenire, parare Omen; Veſtrum, inquam,* MODERATORES EXCELSI, *a quibus voluntas, ſtudia, cogitata pendent mea; arbitratus ideo etiam Vobis potiſſimum nuncupandum Propoſitum hoc,*

quo

quo intelligant & alii , omnia mea, qualiacunque demum ſint , eſſe Veſtra & Vobis deberi ; nihilque tam exile , tam incerti exitus , tam infra Dignitatem Veſtram me offerre, quod addubitem, MAXIMI ſimul qui eſtis ſimulque HUMANISSIMI, ſitis nec ne facturi æqui bonique inſcriptum Vobis , ſaltem propter inſcribentis obſervantiam cultumque.

EXPLICANTUR NOMINA SCRIPTORUM
REI HERBARIÆ
Quorum mentio ſit.

Adv. ADverſaria nova Stirpium, autoribus Petro Pena & Matthia de Lobel Medicis. *Antuerpiæ* 1575. in folio.

Adv. part. 2. Adverſariorum pars altera. *Londini* 1605.

Ang. Semplici dell' Eccellente M. Luigi Anguillara. *In Vinegia* 1561. in 8.

Amat. Amatus Luſitanus. Enarrationes in Libros quinque Dioſcoridis. *Argentinæ* 1553. in 4.

Apul. Apulejus Platonicus de Herbarum virtutibus, addita demonſtratione herbarum ſingulorum ſignorum Zodiaci, nec non & ſtellarum errantium. *Lutetiæ* 1528. in folio.

Barr. Icones Plantarum per Galliam, Hiſpaniam, & Italiam obſervatarum ad vivum exhibitarum a R. P. Jacobo Barrelerio, Opus Poſthumum editum cura & ſtudio Antonii de Juſſieu Doctoris Medici Pariſienſis. *Pariſiis* 1714. in folio.

Bellon. Bellonius de Arboribus Coniferis, &c. *Pariſiis* 1553. in 4.

Brunſ. Othonis Brunfelſii, Plantarum Hiſtoria, *Argentinæ* 1538. in folio.

C. B. Pin. Caſpari Bauhini Pinax Theatri Botanici. *Baſileæ* 1671. in 4.

Cam. Epit. Camerarius in Epitome Matthioli, *Francofurti ad Mœnum* 1588. in 4.

Cæſalp. Cæſalpinus de Plantis Libri XVI. *Florentiæ* 1583. in 4.

Cluſ. Hiſt. Caroli Cluſii Atrebatis rariorum Plantarum Hiſtoria. *Antuerpiæ.* 1601. in folio.

Cluſ.

Cluſ. Exot. Caroli Cluſii Atrebatis Exoticorum Lib. x. *Antuerpiæ* 1605. in folio.

Col. part. I. Fabii Columnæ Lyncei minus cognitarum ſtirpium ΕΚΦΡΑΣΙΣ. *Romæ* 1606. in 4.

Col. part. alt. Fabii Columnæ Lyncei minus cognitarum Stirpium Pars altera. *Romæ* 1616 in 4.

Col. Phytob. Fabii Columnæ Phytobaſanos. *Neapoli* 1592. in 4.

Col. in Rech. Rerum Medicarum Novæ Hiſpaniæ Theſaurus a Nardo Antonio Recho, cum Notis & Additionibus Fabii Columnæ. *Romæ* 1649.

Cord. Hiſt. Valerii Cordi Hiſtoriæ Stirpium Libri IV. *Argentinæ* 1561. in folio.

Dod. Pempt. Remberti Dodonæi Mechilinienſis, Medici Cæſarei, Stirpium Hiſtoriæ Pemptades ſex, ſive Libri xxx. *Antuerpiæ* 1616. in folio.

Eyſt. Hortus Eyſtettenſis. Opera Baſilii Beſſeri, Philiatri & Pharmacopæi. *Norimbergæ* 1613. in folio.

Flor. Bat. Floræ Lugduno-Batavæ Flores Pauli Hermanni. *Lugduni Batavorum* 1690. in 8.

Fuchſ. De Hiſtoria Stirpium Commentarii inſignes, Autore Leonhardo Fuchſio. *Baſileæ* 1542. in folio.

Ger. Emac. Joannis Gerardi Angli, Hiſtoria Plantarum Emaculata, *Londini* 1597. in folio.

Geſn. Conradi Geſneri Tigurini Hiſtoria Plantarum. *Venetiis* 1541. in 12.

Hernand. Rerum Medicarum Novæ Hiſpaniæ Theſaurus ex Franciſci Hernandis relationibus. *Romæ* 1649. in folio.

H. L. Bat. Horti Academici Lugduno-Batavi Catalogus, Autore Paulo Hermanno. *Lugduni Batavorum.* 1687.

H. R. Bleſ. Hortus Regius Bleſenſis. *Pariſiis* 1655. in folio.

J. B. 1. 159. Jo. Bauhinus, tom. 1. pag. 159.

J. B. 2. 200. Jo. Bauhinus, tom. 2. pag. 260.

J. B. 3. Part. 2. 25. J. Bauhinus, tom. 3. part. 2. pag. 25. Hiſto-

ſtoria ſcilicet Plantarum univerſalis, Autoribus J. Bauhino Archiatro, Joanne Henrico Cherlero Doctore, Baſilienſibus; quam recenſuit & auxit Dominicus Chabræus D. Genevenſis. *Ebroduni* 1650. in folio.

Inſt. Inſtitutiones Rei Herbariæ Joſ. Pitton Tournefort. *Pariſiis* 1700. in 4.

Lob. Icon. Icones Stirpium Matthiæ de Lobel. *Antuerpiæ* 1691. in 4.

Lob. obſer. Adv. Matthiæ de Lobel Plantarum Hiſtoria, cum Obſervationibus & Adverſariis. *Antuerpiæ* 1576. in folio.

Lugd. Dal. Hiſtoria Plantarum Dalechampii. *Lugduni* 1686. in folio.

Matth. Petri Andreæ Matthioli Senenſis Medici, Commentarii in ſex Libros Pedacii Dioſcoridis. *Venetiis* 1565. in folio.

Mor. Hiſt. Oxon. Part. 2. Plantarum Hiſtoriæ univerſalis Oxonienſis Pars 2. Autore Roberto Moriſon. *Oxonii* 1680. in folio.

Mor. Hiſt. Oxon. Part. 3. Plantarum Hiſtoria univerſalis Oxonienſis Pars 3. Autore Roberto Moriſon; a Jacobo Bobarto non ſolum edita in lucem, ſed maxime illuſtrata. *Oxonii* 1699. in folio.

Mor. H.R. Bleſ. Hortus Regius Bleſenſis auctus, ſeu Præludia Botanica Moriſoni. *Londini* 1669. in 8.

Park. Parkinſonii Theatrum Botanicum. *Londini* 1629. in folio.

Plin. Caji Plinii Secundi Hiſtoriæ Mundi Libri XXXVII. in folio.

Raji Hiſt. Hiſtoria Plantarum. Auctore J. Rajo e Societate Regia. *Londini* 1686. in folio.

Rivin. D. Auguſti Quirini Rivini, Introductio generalis in Rem Herbariam, cum ordine Plantarum quæ ſunt flore regulari, Monopetalo. *Lipſiæ* 1690. in folio.

Ejuſdem Ordo Plantarum quæ ſunt flore regulari, Pentapetalo. *Lipſiæ* 1699. in folio.

Ejuſdem Ordo Plantarum quæ ſunt flore irregulari, Tetrapetalo. *Lipſiæ* 1691. in folio.

Sim.

Sim. Paul. Quadr. Quadripartitum Botanicum Simonis Pauli. *Argentorati* 1667. in 4.

Stap. in Theoph. vel *Bod. a Stap.* Theophraſti Ereſii de Hiſtoria Plantarum Libri decem, quos illuſtravit Joannes Bodæus a Stapel. *Amſtelodami* 1644. in folio.

Tabern. Icon. Jacobi Theodori Tabernæmontani, Icones Plantarum. *Francofurti* 1590. in 4.

Trag. Hieronymi Tragi, Stirpium Libri tres. *Argentorati* 1552. in 4.

NOI REFFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Reviſione, & Approbazione del P. F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore, nel Libro intitolato: *Ludovici a Ripa Hiſtoriæ Univerſalis Plantarum ſcribendæ Propoſitum, addito Specimine &c.* non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza a Gio: Battiſta Conzatti Stampatore di Padoa, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, & di Padoa.

Dat. 15. Decembre 1717.

(Franceſco Soranzo Proc. Reff.
(Michael Moroſini Reff.
(Lorenzo Tiepolo K. Proc. Reff.

Agoſtino Gadaldini Segret.

HISTORIÆ UNIVERSALIS PLANTARUM

SCRIBENDÆ PROPOSITUM.

SIcut in reliquis fere omnibus ita etiam in Artium & Scientiarum ſcribenda Hiſtoria diligentes Antiqui, facere tamen non potuerunt exemplo ſuo ut eſſet cura eadem temporibus etiam conſecutis: ſive enim quod habita res obſcura ſive quod moleſtus hic labor, veterum inſtitutum neglectum fuit. Ubi primum autem Recentioribus videri cœpit aliter, utilitatem negotii graviter copioſeque commonſtrante Franciſco de Verulamio; non defuerunt qui naviter huc animum intenderent, putantes nec levem operam nec fructus exigui ſi Facultatis quiſque ſuæ Hiſtoriam componerent. Habuit inde Scriptores multos Botanica maxime, qui in Plantarum Hiſtoria elaboranda valde excellerent, & quod ipſi feciſsent cum magna laude, ad idem faciendum excitarent alios etiam, ſi qui ſibi viderentur

A in

in publicum commodum proferre poſſe aliquid quod privato ſtudio ſuaque obſervatione collegiſſent. Ut ego etiam in adamanda & excolenda Herbarum doctrina hoc in mente haberem, & aliquando, quoad poſſem, re ipſa præſtarem, non una hortata cauſa eſt, quam ſatis juſtam crederem ut quotidianos conatus meos & induſtriam qualemcunque ad Univerſalem Plantarum Hiſtoriam conficiendam edendamque referrem.

Neque vero ſubiit ea cogitatio quam aliquis fortaſſe ſuſpicabitur. Si enim præteritis ſeculis hæc Italorum gloria fuit ut Doctrinas ipſi augerent inventis ſuis, & auctas traderent Nationibus exteris; contra nunc & in Scientiis aliis & in Botanica quoque, maxime vero in eo quod ad Univerſalem Plantarum ſpectat Hiſtoriam ab Italorum nemine adhuc traditam, videmur ſolertia diligentiaque ab illis ſuperari: ſane non ſum ego is, nec auſim mihi tantum arrogare ut poſſe putem dignitatis jacturam per me ſarciri & in locum priſtinum reſtitui noſtros: viribus aliis opus eſt, ut victi vincamus denuo. Impulere duo hæc.

Unum, quia videbam eos qui Plantarum Hiſtoriam conſcripſerunt, non eſſe complexos quæ utilia & pulcra ſunt in parte hac Naturalis Hiſtoriæ tam fructuoſa tamque jucunda. Nam ſi de Veteribus ſermo ſit, tunc Botanica non erat ita locuples & large inſtructa ut nunc eſt. Theophraſtus *lib.* 1. *Hiſt. Plant.* ubi differentias arborum pertractat, aperte fatetur ſylveſtrium plurimas carere

no-

nomine, expertaſque eſſe perpaucas, cum urbanarum plures ſuo noſcantur nomine, utpote quarum ſenſus ſit communior: verba ſunt ejus, *ἀλλὰ τῶν μὲν ἀγρίων ἀνώνυμα τὰ πλεῖστα, καὶ ἔμπειροι ὀλίγοι, τῶν δὲ ἡμέρων καὶ ὠνομασμένων πλείω, καὶ ἡ αἴσθησις κοινοτέρα:* ut alterum prætereamus, nobis eſſe nota Herbarum genera plura, quam antiquis notæ ſpecies eſſent. Ex parvis magna non fiunt, nec agi opulenter poteſt in tenui re. Quod ad Neotericos attinet, horum ſupellex jam ditior & lautior debuiſſet quidem ſpem facere Hiſtoriæ perfectæ, ſed ex his qui aggreſſi ſunt opus tam arduum, occupavere ſeſe circa illa quæ habebant magis comperta, & magis utilia exiſtimabant, prætermittentes interim cetera non minus neceſſaria quam ſcitu ſuavia. Atque ut ſententiæ diverſæ ſunt, ſic etiam ſcribendæ Hiſtoriæ diverſitas. Alii enim una Plantarum Deſcriptione fuere contenti: alii Plantarum Deſcriptionibus Facultates addidere, conjungentes quæ docuere plerique Medici & Botanici antiqui & hodierni: quidam adjecere Etymologias: coacervantes aliqui evulgata a Botanicis ante ipſos, prompſere Volumina ingentia: tandem ſunt qui ad Hiſtoriam Univerſalem ſeſe accinxere ut peculiarem aliquam methodum propriam & a ſe primum excogitatam inſtituerent. Viris excellentibus deque re Botanica optime meritis honos habeatur ſuus: effecuti nanque ſunt conſilium ſibi propoſitum; meditata & incœpta feliciter abſolvere, uſi egregie quæ inſignes homines detexerunt, facem ve-

luti præferentes ſtrenue ſequentibus. Sit, inquam, horum omnium, quantam eſſe oportet, dignitas parta præclare: arbitror ego tamen non opportunam modo futuram ſed etiam neceſſariam Hiſtoriam Univerſalem quandam, quæ ita exponat quod & frugiferum & ſpecioſum eſt in Scientia hujuſmodi, ut ſimul vitet extrema vitioſa duo, Redundantiam & Jejunitatem: quarum illa cum ubique moleſta eſt, tum præſertim in Studio iſtjuſmodi legentes implicat obrutoſque fatigat; hæc autem neceſſario cognoſcendis fraudat, & mancos deſtituit. Cordi erit utriuſque fuga,

Alterum eſt, quia Plantarum Hiſtorias attente volvens atque revolvens animadverti non conſtare fructum illum qui debuerat: ea namque methodo ſcriptæ ſunt, quæ & ſeparat Herbas generis ejuſdem, & conjungit omnino diſtantis: aut ejuſmodi methodo quæ non admodum generalis eſt, neque Plantas complectitur omnes; quod abſolutæ notitiæ Botanicæ vehementer obſtat. In quo deficiunt Hiſtoriæ quæ ad hanc uſque diem in publicam lucem venere, viſum eſt mihi ſuccurri poſſe, ſi Herbæ diſponantur methodo nunquam ſatis laudata Tournefortii: quæ rectiſſimo ordine Herbas digerit omnes; quæ neque copulat diſſociandas, neque diſſociat copulandas; quæ tam late patens eſt ut Herbas contineat hucuſque repertas & ſubinde reperiendas, facile habituras locum ſuum flore earum fructuque cognito. Quare Fontanellius in *Hiſt. Acad. Reg. Scient. ad ann.* 1709. ubi Tour-

nefor-

nefortii ſyſtema commemorat, ait hæc fere (*) Plan-
"tas hactenus detectas ſubiiſse quaſi ultro genera
"ſua jam à Tournefortio determinata: ac ſi quan-
"do detegantur aliæ quæ propter flores & fructus
"nova genera poſcant, nihil opus futurum ultra
"niſi ut illa determinentur." Methodum eandem
commendant Monumenta ejuſdem Acad. *ad ann.* 1709.
in hanc ſententiam (**) " Tournefortium Inven-
"torem Autoremque primum fuiſſe in Scientia in
"qua eſſe non poſse videbatur: Plantas fuiſse ab
"illo deſcriptas in certas claſses, ſuiſque ſedibus
"quaſque affixas, cum antea non eſset niſi catalogus
qui-

(*) *Des Plantes nouvellement decouvertes ſont venues, pour ainſi dire, ſe ranger d' elles memes ſous certains genres deja etablis par M.* de Tournefort, *& quand il ſe decouvrira d' autres Plantes qui par leurs fleurs & leurs fruits demanderont des genres nouveaux, il n'y aura qu' à les etablir*. Hiſt. de l' Acad. Royal. des Scienc. 1700. p. 95. ed. Amſt.

(**) M. de Tournefort. *Inventeur & original dans une Science où il ne ſembloit pas qu' on put l' etre, la diſtribution generale qu' il a faite des Plantes a reduit en Syſteme ce qui n' etoit auparavant qu' un Catalogue très-incomplet, & les principes ſur les quels il a fonde cette diſtribution ſont ſi naturels qu' on peut deſormais ſans conoitre toutes les Plantes ſavoir neanmoins toute la Botanique*. Mem. de l' Acad. Royal. des Sciences 1709. p. 413. ed. Amſt.

"quidam informis, & ſerie incondita illæ errarent:
"principia autem quibus Diſtributio nititur hæc,
"eſſe naturalia, adeo ut, quanvis non cognitis
"Herbis omnibus, tamen univerſam Botanicam
"callere qui velit, non ægre poſſit.

Jam vero quia Generalis hæc Hiſtoria neque moliminis neque temporis parvi eſt, & intelligentiam efflagitat bene purgatam, rerumque cognitione varia & multiplici oppido imbutam: conſtitui, priuſquam admoveo manum operi, palam proponere conſilium meum, ut docti peritique moneant, quid rite mediter quidve perperam; in quo probandus & in quo reprehendendus videri jure poſſim. Qui inchoatam veluti tabulam rudemque exhibeo oculis, & anxie quæro illud ut prudentes ſcitique regant judicio ſuo; magni beneficii loco ponam ſi id conſequar; & ita quiſque putabitur amiciſſime mecum agere, ut quiſque liberrime commonebit.

Eſt igitur propoſitum meum, ejuſque Synopſis.

Prolegomena multa præcurrent, aut viam apeentia ad illa facilius percipienda quæ in tota Hiſtoria dicentur, aut res illas exponentia quæ vel ibi commode locum non invenisſent vel ſi invenire potuisſent, tamen ſatius multo fuerit dari in conſpectum ſimul omnes, quam huc atque illuc diſpertitas, non ſine moleſtia quærentem diſtrahere

Primum erit, de *Utilitate & Jucunditate Botanices*, quo cupiditas excitetur doctrinæ hujus. Excurſus per Artes omnes oſtendet, quantas unicuique earum

rum opportunitates Plantæ afferant & in uſus quantos proſint. Non proferentur tamen omnia quæ poſsent: nam & eſset id prolixum nimis, & Herba quælibet ſatis Botanicam laudat. Quam etiam dulce hoc ſtudii genus ſit, quamque uberem conſectantibus amœnitatem ſuppeditet, indicabunt tantiſper conſiderata Herbarum varietas, ingenium, conſtructio, pulcritudo, mirandum in Herbis opificium Naturæ.

Secundum, *Hiſtoria rei Herbariæ & Fata*. Præfati multa univerſim de origine Scientiæ Herbariæ deque Inventoribus & Cultoribus primis, ſtatuemus tanquam *Ætates quatuor*.

Prima ætas, *Græci*, à quibus cognitiones pleraſque hauſere Romani: quanquam magis quam Græci, in Agrorum cultura tradenda induſtrii Romani.

Secunda, *Arabes*, qui Græcorum cognitionibus addidere multa; valdeque in indaganda Herbarum virtute fuere ſolertes.

Tertia, *Majores noſtri*, qui depulſa barbarie, renatiſque literis, hanc ſcientiam impenſe coluerunt, ſuſceptis etiam per univerſum terrarum orbem itineribus & navigationibus, Plantarum inveniendarum cauſa.

Quarta tandem, *Tempora noſtra, & noſtris proxima*. Atque ætas hæc longe omnes alias ſuperavit; quæ tum numerum Plantarum detexit ingentem, tum cultura diligentiſſima peregrinas aſsuefecit cœlo noſtro; tum in ſtructura Plantarum de-

pre-

prehendit innumera non ante deprehenſa; tum denique (ait Petrus Hotton) commendatiſſima Rem
"Herbariam tractandi ratione & via, quæ ad ca-
"peſsendum ejus cultum eſt accommodatiſſima , ita
"& ad explorandas Herbarum vires manuducit
"viamque ſternit.

Ad ætates ſingulas mentio fiet Autorum Botanicorum: recenſebimus eorum Opera , ut etiam Commentaria & Annotationes in Antiquos: Editiones item varias numerabimus, & dicemus quæ earum habeantur optimæ . Non ſilebimus Controverſias celebres inter Botanicos : dabimuſque operam ut nihil deſideretur quod videatur ad Herbariam Hiſtoriam pertinere.

Tertium, *de Natura Plantarum*, in duas partes diviſum, quarum altera expendet Antiquorum ſententias , altera Recentiorum, & quæ hi cognovere nova in Plantarum ſtructura.

Quartum, *de Plantarum Cultura*. Loquemur ante de Inſtrumentis Culturæ hujus . Examinabimus qualitatem Terrarum, ut hæ differentes conveniunt differentibus Herbarum generibus. Multa de ratione macerandi ſemina & perforandi, ut inde facilius germen erumpat . De variis ſationis & propagationis Plantarum modis , per ſemen , ramum , ſurculos, taleas, malleolum , gemmam, ſtolonem , viviradicem, ſubmerſionem, circumpoſitionem , avulſionem , inſitionem , inoculationem, delibrationem, ablactationem , tranſplantationem , terebrationem, & ſi qui ſunt alii propagandi modi.

Quar-

Quintum, *de variis modis explorandi Plantarum vires*. Agemus primum de ratione inveſtigandi guſtu, odore, colore; de modo cognoſcendi earum facultates per ſignaturam externam. Hujus nomine Botanici intelligunt peculiarem formam, quam habent plantæ & harum partes, radix nempe, folia, fructus, ſemina, aut loculamenta; ſimilitudinemque viſam Plantis communem cum rebus naturalibus & membris corporis noſtri: ideo dicunt a natura Plantis illam impreſsam fuiſſe ad manifeſtandam earum qualitatem proprietatemque; ut contendunt Paracelſus, Jo. Baptiſta Porta, Quercetanus, Crollius, Claudius, Deodatus. Inde agetur de Chymicis Analyſibus tam ſimplicibus quam compoſitis, præcedente fermentatione aut ſola digeſtione; auxiliante mixtura diſſolventium aut nihil addito; vel etiam adhibito calore dulci ac lento vel igne: item ponderabitur, quandonam alia Analyſis ſit utilior quam alia: e. gr. Qui Principia poſtulant ſalina & ſulphurea vegetabilium, immunia à parte terrea quæ implicat & retardat, opus eſt ut Analyſi utantur fermentata addito melle. Principia enim activa hæc conjuncta ſimul & invicem correcta in fermentatione, in phlegmatis quantitatem ſufficientem ſoluta, expedite diſtribui poſſunt in vaſa ſanguinea, neque ſubeunt digeſtionem & alterationes fieri ſolitas in viis primis.

Sextum, poſt demonſtratam neceſſitatem, originem, progreſſumque Methodi, breviter erit de *Methodis variis & diſſimilibus quibus uſi Botanici ſunt*

in Plantis ordinandis. Inde diſquiretur, *quænam ſint ſigna & Characteres methodi veræ*: ac ubi determinata fuerint, probabitur nullo eorum carere Methodum Tournefortii.

Septimum, *de loco Plantarum*. Diſtributis Plantis, quod ad locum, in Claſſes Tres, quarum una erit earum, quæ non vivunt niſi in loco proprio, ut *Viſcus Arboreus & Submarinæ*: alia, quæ paſſim communes ſunt, nec ullum fere locum aut cœlum refugiunt: tertia, quæ proprium quidem locum appetunt, neque temere naſcuntur alibi; cultura tamen admota educantur, florent, ſemen perficiunt, ſeque propagare poſſunt: adjiciemus Hiſtoriam Tranſlationis Plantarum à nemine conſcriptam, cum certum ſit in multis regionibus vites, fruges, & permultas alias herbas & arbores adventitias eſſe: ex. c. Ceraſa primus Lucullus Ceraſunte Pontica urbe Romam detuliſſe fertur: Loton communem & familiarem Italiæ eſſe affirmat Plinius, translatam ex Africa, ſed ſolo mutato factam degenerem: de Cythiſo ait Plinius: *Inventus hic frutex in Cythno inſula, inde translatus eſt in omnes Cycladas, mox in urbes Græcas*. Conſtat ex hiſtoriis non pauciores Plantarum quam Gentium tranſmigrationes fuiſſe. Id cernere erit, arbitror, voluptatis minime exiguæ.

Prolegomena hæc excipiet Hiſtoriæ totius diviſio in Claſſes Viginti duas. Claſſes autem dividentur in Sectiones, Sectiones vero comprehendent genera multa: nec uſpiam diſcedemus à

Tour-

Tournefortii *M*tehodo niſi in Claſſe XVII, cujus titulus eſt de HERBIS ET SUFFRUTICIBUS, *quarum flores & fructus vulgo deſiderantur*. Nam flores & fructus in nonnullis earum Plantarum diligentes ſcrutatores deprehenderunt ætate noſtra. Com. *M*arſilius, Italiæ ornamentum, reperit flores & ſemina in Plantis quibuſdam *M*editerranei: ſemina reperit in *Lenticula Paluſtri* Valliſnerius, vir celebris tot ingenioſe & utiliter obſervatis in Hiſtoria Naturali, qui cumulata eruditione ſtudioque contento decus Experimentalis Philoſophiæ in Italia egregie tuetur: ut Valliſnerio petenti ſatisfaceret, homo Clariſſ. Ceſtonus invenit ſemina in *Alga Marina*: atque ut videre eſt in Monum. Reg. Acad. Scient. *ad ann.* 1711. & 1712. Celeber. Reaumur detexit flores & ſemina in multis ſpeciebus *Fuci*. Qua ex re apparet cur in hac parte diviſionis, à Tournefortio inſtitutæ, aliquid innovandum ſit: neque enim obſervationes patiuntur nos dubitare quin, quod commune apud eruditos homines ſyſtema eſt, Plantæ omnes habeant ſuos flores & fructus. Hoc in Scientia Phyſica valde fit, ut aliquando vias ineat ad rem aliquam, quam Naturæ conſilium generalem eſſe poſtulat. Quanvis autem eſſe infinitæ videantur varietates Naturæ, tamen perſpicacia rimantium & animadverſio attenta apte ad unum redigit & ſimile genus. Itaque ubi mentio incidet Herbarum illarum quæ pertinent ad XVII. Claſſem Tournefortii, notas conſtituemus florum illorum: & aut Claſſem novam

præter Viginti duas determinabimus , aut quæ Herbæ deſcriptæ ibi ſunt , ad Claſſes alias jam decretas revocabimus ; illæque tantum Herbæ ibi relinquentur , quarum nondum comperti flores & fructus.

Explicantes autem formam florum , & caracterem Claſſium deſcribentes , utemur verbis ipſius Tournefortii : ſi nova erunt genera inventa poſt editum librum Tournefortii , reponemus loco ſuo ; quemadmodum nova invenerunt ipſe Tournefortius, Niſſolius, & Juſſieu, ut eſt in Monum. Reg. Scient. Acad. *ad ann.* 1705. 1711. 1712. dabimuſque operam ut in Hiſtoria noſtra nullum eorum generum , quæ hactenus detecta ſunt , cum omnibus ſuis ſpeciebus deſideretur.

Accedentes ad Hiſtoriam peculiarem Herbæ cujuſque , ante proponemus nomen illi impoſitum ab antiquis Botanicis aut ab iis qui primi Plantam illam deſcripſere . Si quod nomen adhibebimus non veteribus Botanicis uſurpatum , ſemper in ſingulis conjungemus nomen & ſynonymum quod habent apud C. Bauhinum, & J. Bauhinum & veteres alios , ſi modo his fuerint Plantæ cognitæ . Citabimus etiam eorundem Paginas , tum ut collatio fieri commode poſſit , tum ubi contingat eorum ordinem & nomenclaturam mutari , ne pereat emolumentum quod percipi poteſt ex aditis illis ipſis.

Poſt varia nomina ſubijciemus ſigna hæc ☼ aut ☿ : quorum primum indicabit Plantam eſſe *Perennem* ; ſecundum autem eſſe *Annuam* : plane

quem-

quemadmodum Moriſon in ſuo Horto Bleſenſi. Quæ porro intelligendæ *Perennes*, quæve *Annuæ* ſint, Moriſon perſpicue exponit verbis his *in Præf. Hort. Bleſ.* "Plantas vivaces ſeu perennes appello quarum ra-"dix (poſtquam defloruerint, ſemenque produxe-"rint plantæ) novos quotannis emittit Aſparagos "cauleſve, quin & ex eadem radice, de novo "ſingulis annis reviviſcunt plantæ perennes. Ar-"bores, & frutices nulla indigitantur nota, quip-"pe ſponte ſeſe declarant vivaces. Paulo poſt. "Per annuas non ſolum intelliguntur eæ Plantæ "quæ intra anni ſpatium ſemen ſuum perficiunt, "ſed & quæ ſecundo aut perraro tertio anno, "ſemine perfecto, exſiccantur pereuntque nulla re-"ſtabili radice, ex qua de novo ſtolones ut pe-"rennes emittant.

Nomen ſequetur *cauſa* quare id impoſitum Plantæ illi de qua mentio, præſertim ſi Græcum erit: ea nanque virtus domeſtica Græcorum eſt ut vocibus ſuis intimam rerum naturam attingant, maxime in Botanica, fere proprietatem aut internam aut externam Plantæ aliquam Græco vocabulo connotante: Unde Plato in Gorgia ὃς τὰ ὀνόματα εἰδῇ, εἴσεται καὶ τὰ πράγματα. *Qui nomina ſciat, ſciet & res.* Nobis exempla ſunt in re noſtra Λύκιον, Μήδιον, Σκυθίον, Περσίον, Περσικὸν, Ἰδαία ῥίζα, ῥίζα Ῥοδία cognominatæ à loco ubi primum repertæ: λειμώνη, κηπαία, ποταμογείτων, ὀρείγανον, a loco ubi naſci amant: μυῤῥὶς, λιβανωτὶς, ἡδύοσμον, ab odore: βούγλωσσον, ξιφίον, πλατύφυλλον, ἵππουρις, πτερὶς, μυὸς ὠτὶς, a figura fo-

foliorum: *τρίφυλλον, πεντάφυλλον, χιλιόφυλλον, μυριόφυλλον*, à foliorum numero: *λυχνὶς, λευκάνθεμον. χρυσοκόμη*, à colore floris: *ἶρις*, à coloris varietate: *λογχῖτις, ἔχιον*, à forma ſeminis: *μελάνθιον*, à ſeminis colore: à duritie, *λιθόσπερμος*: à ſucco viſcoſo, *ἰξίας* vel *ἐξίνη*: a ſucci ſapore, *γλυκύῤῥιζα*: à tempore prodeundi primum, *χελιδόνιον*, cum hirundinibus apparens, & cum his abeuntibus deficiens: ab uſu in tincturam, *ἐρυθρόδανον*, & *κόκκος βαφικός*: ab uſu medico ad morbos vel mitigandos vel ſanandos, *βήχιον, ἄσπληνον, ἀριστολοχία*: ab omnium morborum medela, *πανάκεια*: quia certa animalia illàs appetunt, quædam habuere nomen inde, ut *μελισσόφυλλον, ἐλαφόβοσκον*: ab inventoribus nata nomina ſunt, *Λυσιμαχία, Γεντιανὴ, Ἀχίλλειος σιδηρίτις, Τηλέφιον, Εὐφόρβιον*. Longe autem plurimæ ſunt, quæ non conſtat cur ita appellatæ: nam vel imperiti vel ruſtici fecere nomina, nullam rationem ſecuti, quæ ab eruditis Herbariis retenta tamen: ad hæc, multa, ut fieri ſolet, indita temere & fortuito à quibuslibet. Nec inviti Salmaſio *in Proleg. ad Hom. Hyl. Jatr.* aſſentimur, plurium fortaſſe nominum imponendorum cauſam fuiſſe autoribus primis, ſed ea nobis prorſus inexploratam eſſe vel quod impoſita fuerint antiquiſſimis Græciæ temporibus cum lingua alia eſſet in uſu, vel quod dialecto propria ſolis illis populis & uſitata, apud quos Plantæ naſcerentur: Id autem non in Plantis modo, ſed etiam in animalibus uſuveniſse, ut aliter Græcia vetus, recens aliter nominaret: nam Græcos antiquos dixiſse *πόρκον*

Var-

Varrone teſte, quem recentiores χοῖρον: item vetuſtioribus Æolibus λέποριν appellatum, qui λαγωὸς poſtea dictus: multa porro Herbarum nomina extare in Hippocrate admonet vir idem ſingularis, in quibus explicandis antiqui γλωσσογράφοι & Medici fruſtra laborarunt: jamdiu diſputari nondumque compertum eſse, utrum ὁλοκωνῖτις an ὀροκωνῖτις apud eundem legendum ſit, & quod genus ſit herbæ; ſimiliter de Cammaro dubitari, ſit ne aconitum an cicuta aliudve immoderate refrigerans medicamentum: quanvis autem in multis intelligatur quid Hippocrates velit; tamen legi apud illum Herbarum nomina, jam eo tempore prorſus inuſitata quo Commentarios in illum aut Gloſsarum expoſitiones Galenus ſcribebat: nam ἐχέτρωσιν Hippocratis, fuiſse Galeni ætate λευκὴν βρυωνίαν: illi βολώθεμον, Græcis poſterioribus βούφθαλμον: διδύμην ῥίζαν illi, Neotericis ὄρχιν aut κυνόσορχιν, appellantibus Græcis διδύμους teſticulos, Hippocrate διδύμην radicem geminam: pariterque σικυώνην indigitari, creditam aliis ἀγρίαν κολοκύνθην, quæ etiam voce unica κολοκυνθίς: nos ignoraturos illius ἔκτομον, niſi veteres γλωσσογράφοι exponerent, nigrum elleborum: olim ejus interpretes & medicos addubitaſse quid putarent Ἰνδικὸν, an zingiber, an radicem piperis, an peculiarem Indiæ plantam, cujus fructus vocaretur μυτείδιος piperi ſimile: divinandum fuiſse nobis, quid κάχρυς ille nuncupet, quæ ſequenti Græciæ ævo dicta eſt λιβανωτίς: nec minus obſcurum cur λευκὴν ῥίζαν appellet Dracontii radicem: Hinc πολυωνυμίαν ac συνωνυμίαν.

Plan-

Plantarum ortam, ſæpe & veteribus & noſtris etiam inextricabilem. Συνωνύμων autem genus eſse triplex: aut enim uno eodemque ſeculo varias civitates eadem lingua utentes unam eandemque plantam varie vocaſse; aut diverſis ſeculis plantam eandem fuiſse diverſe appellatam: aut gentes lingua diſſimiles ſuo quamque idiomate plantam aliquam nominaſse. Tertiæ hujus differentiæ exemplum, ἰσάτις Græcis, Latinis *vitrum*, Gallis *glaſtum*, Arabibus *nil*, una eademque herba cæruleæ tincturæ apta, *guadum* nobis: ſecundæ exempla ex Hippocrate mox allata: primæ, omiſſis plurimis aliis, πήγανον Græcis ceteris, ῥύτη majori Græciæ & Siculis, unde Romanorum *Ruta*: Græcis iiſdem Siculis κονίλη, Græcis reliquis ὀρίγανος. Trinam hanc Synonymorum rationem, cauſam fuiſse ait, ut Plinius præcipue erraverit in quamplurimis, ex inſcitia nimirum rerum ipſarum ac differentiæ vocabulorum, quibus eas Græciæ diverſi populi aut Græci Latinique Scriptores aut etiam priſci ac recentiores indicarunt. Hinc enim ſæpe factum ut eandem herbam, ex Græci ac Latini vocabuli diverſitate, putaverit quoque diverſam, & ſeorſim utramque retulerit: hyacinthum & vaccinium tanquam diverſas herbas ab illo recenſeri, cum certum tamen ſit vaccinium vocaſse Latinos, qui Græcis eſt ὑάκινθος & diminutiva forma ὑακίνθιον, Æolibus autem οὐακίνθιον & οὐακίννιον, quippe efferentibus υ per ου, ut φοῦσα & φοὺς pro φῦσα & φὺς, θουγάτηρ pro θυγάτηρ, & ſimilia: quin Grammaticos ipſos

ve-

veteres conſentire , vaccinium eſſe hyacinthum, ita redditum à Virgilio ὑάκινθον Theocriti:

Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐντὶ, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος Eidyl. 10.

Et nigræ violæ ſunt, & vaccinia nigra. Ecl. 10. Eodem errore Ebulum Latinorum & χαμαιάκτην Græcorum, herbam eandem, fuiſſe habitas Plinio diverſas.

Ideo nos addemus varia Græcorum nomina, quorum vis & ſignificatio haud leve adminiculum futurum eſt ad mentem aſſequendam Scriptorum Græcorum, & cognoſcendas hallucinationes Botanicorum, qui aut parum perpenſa vocum proprietate aut aberrantes ab illa, ſuperfluitate peccarunt, res ſine neceſſitate multiplicantes, interdum etiam Plantæ unius nomen tribuentes Plantæ alteri, & ex falſis interpretationibus non veras producentes Herbarum notas: quo fecere irritum laborem quærentium quod in rerum natura non eſt; interim non ſolum depulſis indagatoribus e veſtigiis antiquorum, ſed etiam coacta re medica detrimentum ſubire ex Herbis ignoratis, & ſimul ignoratis medicamentis, quæ ex Herbis illis antiqui demonſtrarunt. Dici vix poteſt (juſta querela eſt) quoties & quantum non exacta linguæ Græcæ peritia Plinium fefellerit: qui ſane nec tam abſurda nec tam inconcinna ſæpe de Herbis pleriſque pronunciaſſet, modo tantiſper ipſa ἔτυμα Herbarum attendiſſet. Hinc duplicatus Herbariis noſtris labor eſt ex utriuſque loquelæ neceſſaria eruditione, quam multi quidem promittunt, at pauci præſtant, ſatis

beati ſi alteram mediocriter teneant, quam tamen ſine altera plene perfecteque obtineri non poſſe, nemo dubitat gnarus aliquid negotii hujus.

Videtur inſuper viro eximio Ars etiam alia poſtulanda in iis qui hactenus ſcientiam rei Plantariæ profeſſi ſunt; qua tamen ita deſtituuntur, ut ne polliceri quidem audeant, plerique etiam contemnant, qui ſe aſſequi poſſe deſperant; *Critice*, inquam, quæ ſolo judicio exercetur & invicem id exercet, adjuta Scientiarum omnium ope, ſine qua bene non perficit opus ſuum. Hæc ut in Diſciplinis omnibus ita etiam in Botanica exquirit, penſitat, judicat, latiſſime vagata uſu, dum cernendo diſcernendoque, confuſa ſeparat, diſperſa congregat, falſa ſubmovet, vera ſubſtituit, acri æſtimatione judex, emendatrixque criterio prudenti, quidquid vitioſum inſcitumque diſplicet in Herbaria doctrina.

Etymologiæ, & Synonymiæ Græcorum adnectetur *Character genericus* Plantæ, ſumptus à Tournefortio: qui enim characterem generis probe mente comprehenſum habeat, is perfacile ſpecies omnes illius generis noſcitabit.

"Quod ad diſtinctionem & differentiam ſpecie- "rum ejuſdem generis attinet (Tournefortius inquit *in Iſagoge in Rem Herbariam p. 63.*) peti debent "illæ tum ab omnibus earum partibus, radice, fo- "liis, caule, ramis; tum ab omnium partium ac- "cidentibus, colore, ſapore, odore, magnitudi- "ne, ſitu, ſimilitudine cum rebus vulgo cognitis,

ce-

" ceteriſque aliis quibus ſpecies inter ſe maxime
" differunt. Idcirco unicuique ſpeciei *Deſcriptionem* Plantæ addemus quæ eadem illa complectatur, accipientes ex Botanicis præcipuis primæ famæ, quorum dicetur nomen, ne putemur aliena pro noſtri venditare. Si quæ autem deficientes videbuntur, ſanare conabimur: Herbas non deſcriptas ab aliis ipſi deſcribemus, & non ſolum curabimus ut Deſcriptiones noſtræ exhibeant Plantam ad juſtam magnitudinem ſuam, ſed etiam varietates omnes ejus à primo germinandi initio ad perfectionem uſque ſummam.

Deſcriptiones ſequetur *Critica obſervatio aliqua*. Hæc adnotabit differentias quæ apparent apud Botanicos circa nomina & Deſcriptiones Plantarum, tum etiam errores eorum qui nomine eodem complexi ſunt ſpecies diverſas, & ſpecies auxerunt cum nihil opus eſſet. Sæpe etiam advertemus, quinam in primis Botanicorum idoneam figuram dederit: quippe firmum habemus, Figuras eſſe multum utiles ad Herbas cognoſcendas: Propterea valde expediret, ſi Herbam unamquanque deſcriptam daret oculis intuendam figura eleganter exculpta: ſed privatam impenſam res ſuperat, atque ut de hoc genere ſumptus Rajus ait in Præfatione Hiſtoriæ ſuæ, *vix cenſus Senatorius ſufficeret*. Pulcherrimæ Figuræ ſunt R. P. Jacobi Barrelerii Itali noſtri Botanici ſcientiſſimi, quas imprimendas curavit Antonius de Juſſieu Doctor Medicus Pariſienſis. *Pariſiis* 1714 *in folio*. Quarum itaque Planta-

rum Figuræ extant in libro illo, adnotabimus Paginam indicem, ut poſſint adiri.

Poſt omnia hæc, Facultates perſequemur Herbæ illius, & uſus in Medicina. Propoſitum noſtrum non eſt, neque ſpectat ad nos hic omnia colligere quæ Antiqui & Novi Botanici tradidere. Illi enim Plantis tribuere virtutes quæ illis minime conveniunt, aut plus æquo extulere & extendere ad uſus nimios, quæ utiles tantum intra modum aliquem. Valde periculoſum decipere in re hac. Quare illas ſolum Herbarum virtutes referre in animo eſt, quas doctrina ſimul & iterata experientia veras comprobant. Veras virtutes putabimus, quas Medici Botanicique concordi conſenſu, prudentes ſapienteſque conſulti, experti callenteſque homines tradiderunt.

Chymica Analyſis etiam erit, ut fecere Lemery uterque *in Tract. de Aromat. & Tract. de Alim.* tum Tournefortius *in Hiſt. Plant. naſcent. circa Pariſios*: id autem non quia putemus poſſe per illam retegi incognitos effectus Plantarum, ſed quo abſolutior Plantæ cujuſque hiſtoria ſit. Profecto præſtantia remedia debemus Chymicæ, quæ ex animalibus & mineralibus tam opportunas præparationes expreſſit, ut ſit illi merito inventorum plurimorum adſcribenda laus. At in perquirendis facultatibus vegetabilium non progreſſa adeo eſt. Genera varia Analyſεων habenda potius ſunt ut inſtrumenta utilia explicandis Plantarum viribus jam cognitis, quam ignotis cognoſcendis.

Fe-

(*) "Fere bis mille Analyſes fecere Chymici Acad.
" Scient. ſed eæ (inquit Chomel ejuſdem Acad. ſo-
" cius *in Comp. Hiſt. Plant. Uſ.*) nihil nobis pepere-
" runt niſi ut apertum fieret ex vegetabilibus ex-
" trahi nonniſi quandam liquorum acidorum quan-
" titatem, copiam modo majorem modo minorem
" aliquam olei eſſentialis aut fætidi, ſalis fixi, vo-
" latilis aut concreti, phlegmatis inſipidi & terræ,
" ac ſæpe eadem ferme principia & eorum quanti-
" tatem eandem extrahi ex Plantis illis quarum
" longe diſſimillima virtus eſt. Diuturnus itaque
" & improbus labor hic tentavit rem inanem ni-
" hilque utilem ad deprehendendos Plantarum ef-
" fectus : profuit ad id unum, ut præjudicata opinio
de

(*) *Pres de deux mille Analyſes des Plantes differentes faites par les Chimiſtes de l'Academie Royale des Sciences, ne nous ont appris autre choſe ſinon qu' on tire de tous les vegeteaux une certaine quantitè de liqueurs acides ; plus ou moins d'huile eſſentielle ou fetide ; de ſel fixe, volatile ou concret, de phlegme inſipide, & de terre ; & ſouvent preſque les memes principes & en meme quantite des plantes dont les vertus ſont tres-differentes : ainſi ce travail tres-long & tres penible a ete une tentative inutile pour la decouverte des effets des plantes, & n' a ſervi qu' à nous detromper des prejuz qu' on pourroit avoir ſur les avantages de ces Analyſes.* M. Chomel. Abreg. de l'Hiſtoi. des Plant. Uſuel. p. XXXVII.

" de Analyſεων fructu, ſi qua eſſet, deponeretur. Tetendit ulterius Tournefortius, Salem quarundam Plantarum comparavit cum Alumno, nitro, ſale ammoniaco, ſale marino, Tartaro vitriolato, ſale coralli. Per planas experientiæ vias ille demonſtrat eſſe ſalibus his implicatam ſulphuris quandam, terræque copiam, & omnia ſolvi in plus minusve abundans phlegma. Non adhibet quidem Syſtema hoc niſi ut faciliore quadam ratione proprietates Plantarum explicet; nec id, quod proponit, expedit niſi per Phyſicas conjecturas: fatendum eſt tamen aditum nobis patefacere ferentem ultra Analyſes. Ab. Rouſſeau Celeber. Chymicus expertus utiliter eſt Analyſes fermentatas melle addito. Hæc autem omnia fuſius examinabimus in Tractatu Præliminari, ubi agetur de variis modis inveſtigandi virtutes Plantarum.

Diligenter omnibus ponderatis auſim affirmare, inter medicamenta quæ vegetabilia ſuppeditant, quo magis ſimplex & naturale quodque eſt, eo magis anteferendum conquiſitis & compoſitis, niſi ſi forte horum excellentiam multa experientia comprobaverit. Omnino crediderim Naturam largitam eſſe nobis conſultius doſes principiorum in Mixto quolibet. Terra & aqua, quas Chymici ſæpe rejiciunt ut emolumenti nullius, magis interdum poſſunt illa ipſa efficere quæ obſervamus in Plantis. Qua providentia ingenioque Natura eſt, ſulphura nimium volatilia temperat, & ſales temperat acres: ac inde arti medicæ plus proſunt ſimpli-

plicia quam mixturæ exquiſitæ, eſſentiæ quintæ, ſpiritus, olea ætherea, elixiria, extracta: peſtiferæ res interdum feraleſque, dum imperiti ſine menſura modoque ἀτέχνως temereque pertractant.

Dicet fortaſſe aliquis, Plantarum facultates ſatis manifeſtari ex ſapore & odore, atque his quaſi ducibus poſſe illas commode explorari. Non inficior, hoc indicio poſſe nos longius provehi quam provehant Analyſes: at, ut loquar cauſa exempli, undenam, obſecro, nobis innotuit Plantas amaras congruere ſtomacho, revocare officia ejus, & vermes necare; valde autem odoras, aromaticas, & acres prodeſſe in vaporibus hyſtericis & affectionibus ſoporiferis: unde præterea certum habemus, Plantis his non ineſſe qualitatem aliquam morbis infeſtam, quibus remedia inde quærimus? Nimirum docuit experientia, ſcientia collecta agentibus crebro idem ſucceſſu fere ſemper eodem. Primum merito obtinet locum ἡ ἐμπειρία *Experientia*, δι' ἧς, autore Ariſtotele. 1. τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ *cap.* 1. *συμβαίνει ἐπιστήμη καὶ τέχνη, per quam contingit ſcientia & ars hominibus*. Non ſufficit ἡ πεῖρα *experimentum*, ſeu unus aut alter ſentiendi actus unica conſtans memoria ejus quod eveniſſe ſenſu percepimus: neceſſaria eſt ἐμπειρία *experientia*, ὅταν ἐκ πολλῶν τῆς ἐμπειρίας ἐννοημάτων καθόλου μία γίνεται ὑπόληψις περὶ ὁμοίων, *cum ex multiplici & iterata cognitione ejuſdem rei* in ſenſu factæ cum eventus oppoſiti diſtinctione, ſeu ex pluribus ſentiendi actibus & memoriis & experimentis eodem modo ſe habentibus, *fit una comprehen-*

ſio,

ſio, καὶ τήρησις & obſervatio. Medicamenta, quibus fidem addiderit experientia tanta, vere tunc erunt Θεῶν χεῖρες ut Galeno, & Θεῖον δῶρον ut Herophilo vocantur, *Deorum manus*, *&* *munus divinum*.

Experientiæ hujus, non minus quam ſapores, odores & qualitates ſenſibiles aliæ, fuerunt in multis initium exempla animalium ſolo naturæ inſtinctu præbita, color, figura externa, & circumſtantiæ aliæ.

Neque vero putandum eſt vires Plantarum futuras eſſe eaſdem ſemper. Proprietates enim earum, quantacunque experientia confirmatæ, ſemper noſtrorum humorum naturam viſcerumque conſtitutionem ſequuntur: partes ſolidæ male affectæ depravatique liquores eas irrigantes, identidem in cauſa ſunt ut neque ipſa certiſſima & tutiſſima medicamenta ſpecifica curent ægrotos. Verum temperamentorum diverſitatem, ætatem, anni tempus, aerem, qualitatem alimentorum, vivendi rationem, ægrotantium mores, & id genus cetera omnia intueri debent medici in adhibenda medicina; non poſſunt Botanici in perquirenda facultate Plantarum. Egimus autem aliquanto fuſius hìc, ne quis perpetuam ſemperque conſtantem poſtularet Plantarum virtutem, plurima licet Medicorum & Botanicorum experientia ſtatam ſolennemque.

Mentione injecta Herbæ alicujus apud antiquos celebratæ, poſtquam diſſeruerimus ea omnia quæ ad illam pernoſcendam attinent, dicemus cui Deorum Planta eadem ſacra eſſet, qui veterum

uſus

uſus in Ceremoniis ſuis ſacris & civilibus, tum in Coronis; quid fabuloſe quidve hiſtorice de illa traditum; quid veri lateat in fictis: nihil tacebitur quod φιλομύσοις arrideat aut arriſurum ſperemus.

Audire videor qui hanc eruditionem tanquam intempeſtivam reſpuant, meque reprehendant ut materiæ Botanicæ terminos prætergreſſurum. Atqui ſapientes & graves homines, qui Artes & Scientias illuſtrandas ſuſceperunt, non intra propria & intrinſeca continuere ſeſe, circaque fines earum hæſere tantum; ſed & in finitima & in longinqua exiere, ut undecunque conveherent quidquid dignitatem rei ſuæ allaturum exiſtimarent. Ergo non pura & mera Facultatum Diſciplinarumque materia ſubjecta contenti, arripuerunt in laudem earum tum affinitatem ſocietatemque quæ illis eſſet cum Doctrinis & Artibus aliis; tum utilitates opportunitateſque ad uſus neceſſarios & commoda vitæ; aliquando, ſi quam cum Religione & Sacris conjunctionem & commercium haberent; nonnunquam etiam ſegetem commendationis latam & uberem fecere gloriam illam quam ſibi ſtudioſi earum cultoreſque pulcherrimam ſemperque victuram pepererunt. Ad hæc, quis æquus & bonus non ſtatuat potius facere te gratiis invitis & iratis, ſi quam ſcientiam impenſe diligis, judicio hominum omnium diligendam, cogitationem, curam, voluptatemque tuam unicam & amores dulces tuos; quis interpres elegans & liberalis non ſuccenſeat

D præ-

prætermittenti ultro ac negligenti inſigne aliquid, quod licet non nativum aut etiam remotum, tamen aſcitum acceptumque futurum ſit haud leve ornamentum Doctrinæ ejus, quam & pendis ipſe plurimi, & aliis quoque plurimi pendendam ſerius & verus affirmas?

Ne quid abſit ab hac Hiſtoria eorum quæ intime ad illam pertinent; Claſſes Herbarum ſingulæ habebunt *Scholia Botanica*. Ibi Controverſias agitabimus excitatas de Herbis claſſis illius: quas quidem Controverſias difficile eſſet apte collocare in Hiſtoria Herbarum particulari, eas præſertim quæ parum conducunt ad cognoſcendam Herbam controverſam; ſuntque magis jucundæ quam utiles Diſputationes. Exemplum ſit. Ignoramus, arbitror, *Laſerpitium* ſive *Silphium* tantopere antiquis commemoratum. In Hiſtoria particulari Herbarum, *Laſerpitii* nomine cognitarum, non erunt referenda quæ antiqui dixerunt de *Laſerpitio* vel *Silphio*; nam perturbaretur valde Hiſtoria: rurſus minime oportet dicta ab antiquis neſcire Botanicum: ea igitur referemus in *Scholiis*; docebimuſque quid veteres exiſtimarint de Herba illa; quamnam Herbam putarint Recentiores *Silphium* veterum eſſe, & quibus cauſis permoti putarint, & innumera alia: omnia ἀκριβῶς, quantum facultas noſtra ſinet.

Poſtremum, erunt multæ Tabulæ dantes variis modis ſub obtutum diviſiones Florum, Claſſium, Sectionum, Generum, Specierum omnium Plantarum: Tabulæ etiam Synonymorum & Homo-

monymorum Plantarum : Indices multilingues Herbarum, ordine Alphabetico digeſti : Lexicon etiam Botanicum copioſiſſimum, in quo explicabuntur voces quibus Rei Herbariæ Scriptores tum Veteres tum Recentiores uſi ſunt.

Conſilium noſtrum dirigitur huc. An autem quod in animo & votis eſt, aſſequi etiam poſſimus, hoc illud eſt in quo paræmiam clamamus ipſi nobis καθῆσθαι προσκυνήσαντας. Labor certe immenſus eſt, qui abſterruit & validos. Omnem levitatem & arrogantiam, morbum inviſum, dii averruncent à me, qui metior ubique me pede meo, & bullatas nugas execror : tamen profiteri audeo, quantum illi qui ante in hac provincia expedienda deſudarunt, me ingenio & induſtria ſuperant, tantam me daturum operam ut nihil ſtudii, nihil contentionis, nihil vigiliarum videar omiſiſſe, ut optati compos fierem. Denuo mihi rogo ſane ſalubriterque monentium autoritatem, ratus hoſpitale & ſacrum impertitum conſilium, vereque mihi σύμβουλον ἱερὸν εἶναι χρῆμα, quod Plato dixit in Theage. Sapientum quidem præceptum eſt, *quod dubites ne feceris* : at item præceptum eſt, *nihil deſperandum*, præſertim in quo non ſolum ſpem bonam ſapientes faciant animoſque confirment, ſed etiam per dubia & incerta itineris ardui eant ipſi præ, faventes ipſi, auſpices, & χειραγωγοί.

SPECIMEN.

LECTOR BENEVOLE.

SUſcepturus onus grave, prius decrevi pertentare vires meas in uno aut altero eorum quæ propoſui mihi facienda, & tanquam explorandum me tibi præbere in rem totam. Percurro Methodos varias quibus uſi Botanici ſunt in Herbis ordinandis; & examino viginti duas Herbas. Ut autem Diſtributionem habeas Univerſæ Hiſtoriæ Plantarum, Herbam deligo ex Claſſibus ſingulis, quibus Tournefortii Methodus conſtat: & ante ſingulas expono formam Florum verbis ipſius Tournefortii, unde Claſſis cujuſque character conſtituitur. Cum autem ſit hoc Experimentum quoddam Inſtituti mei, & indicium materiæ & ordinis tantum; hic multa deerunt, tunc addenda ubi in locum ventum erit. Herbarum Deſcriptiones mutuatus ſum à Botanicis præcipui nominis, unam etiam ab Hiſt. Reg. Acad. Scient. e Gallico in Latinum ſermonem verſam: cauſa eſt quia, hortante autoritate Viri ſummi, debui Specimen hoc elaborare eo tempore cum, jam anno ſeneſcente, Herbæ quoque in Horto contabuerant pene omnes, neque poterant ſe mihi exhibere figurandas Deſcriptione, quæ mea eſſet. Vale & fave.

DE

DE VARIIS BOTANICORUM METHODIS.

IN artibus diſciplinisque tradendis cum omnino ſervanda multa ſunt, tum illud maxime neceſſarium eſſe videtur, ut tradantur certa quadam via & ratione, quam Græci μέθοδον, Latini *ordinem* dixere communiter. Cum enim id primum ante oculos habere debeant qui Præceptoris nomen & officium egregie tueri volunt, ut non ſolum veras ac juſtas rerum tractandarum notiones mente ipſi comprehendant, ſed etiam earum ἰδέας ſive formas aut ſpecies à ſe conceptas & cognitas, apte diſponant, quo facilius præbeant aliis percipiendas per inventa quædam nomina, explicantia illas appoſite: profecto ſcientiæ & facultates omnes prorſus adamant & in docente poſtulant εὐταξίαν illam, in qua intelligitur ordinis conſervatio: ut ſit plane ignoratio docendi, incompoſitæ tumultuariæque res & voces profitentis ſe magiſtrum.

Natæ hinc *Methodi* ſunt; hinc earumdem cuſtodiendarum lex, Sapientum virorum ſancita calculo; ſimul hinc fluxere ideæ communes rebus

E plu-

pluribus, quæ ſola ratione & intelligentia continentur, nulla vero exiſtit. Eas enim ſibi effingit humana mens dum ſingularia & individua, quæ ſola revera exiſtunt, inter ſe collata & abſtracta à differentiis, velut in unum convenientia, comprehendit, & in quædam ſumma capita coaleſcentia diſtribuit, & appellat univerſalia. Sub univerſalibus autem infinitus interminatuſque individuorum numerus, per certas claſſes modo latius modo anguſtius mente comprehenſus, genera ſumma & intermedia, quæ vocant, ſpecieſque varias exhibet: poſt interprete lingua mens effert, & communibus nominibus ea omnia ſignificantibus derivat extra, & diſcentibus impartitur.

Hic ergo ſolet eſſe idearum progreſſus: primum ſingularia quæque percipimus; inde rationem quandam, omnibus communem, intelligendo repertam, & ab individuis quodammodo avulſam ſeparatamque, ſub variis atque variis differentiis conſideratam, ad varia conſtituenda genera traducimus, quæ tandem per quoſdam ultimos χαρακτῆρας determinata ſpecies illis penitus inſitas intimaſque conſtituunt.

Harum porro ſpecierum cum aliæ ſint in quibus conſpiciuntur organa quædam ſitu, figura, uſuque diſcreta; aliæ vero in quibus hæc non apparent: has quidem rerum ſpecies *Inanimes*, illas autem *Viventes* docti nominarunt. Neque huc tantum rectus ordo concipiendi provectus eſt: ſed etiam Methodi beneficio pervenimus ad ulteriora.

In-

Inter *Viventia* enim obſervata quædam ſunt prædita ſenſu motuque ſpontaneo, & *Animalia* dicta: quædam animadverſa ſolum nutriri & augeri alimento ſuſcepto ac diſpertito, & nuncupata *Vegetabilia*, quæ communi *Plantarum* nomine continentur.

Plantæ vero ubi inter ſe conferuntur, magnam ſane admirandamque ſenſibus noſtris ingerunt varietatem ex variis ortam iiſdemque inſignibus notis, quibus illas aut invicem convenire aut diſcrepare deprehendimus. Eſt enim quarundam excellens magnitudo, tum ſuperficies diutinæ durationis, ſolida materia & ſubſtantia, quam appellant lignoſam: aliarum rurſus eſt magnitudo contractior, ſtatura ſubmiſſior, materia mollior, vis imbecillior, ævumque brevius: alteris propter notas, proceritatis & roboris indices, vocarunt *Arbores*; alteras, tanquam ob humilitatem fragilitatemque ſolo hærentes, *Herbas* dixerunt.

At quod inter illas, quarum ſuperficies viſa eſt longius perdurare & ſubſtantiam ligneam præſeferre, nonnullæ vita minus diuturna molliorique materia reperirentur, ac fere etiam eſſent μονοςελέχεις: merito diſcrimen aliud fuit interjectum, ut inter *Arbores* & *Herbas*, Plantæ eſſent, quæ *Frutices* appellarentur. Theophraſtus Ereſſius *lib.* 1. *Hiſt. Plant. cap.* 5. Stirpes univerſim ſumptas in ARBORES, FRUTICES, SUFFRUTICES, & HERBAS dividit, ſummaque Plantarum genera nominat δένδρον, θάμνον, φρύγανον, πόαν, videlicet, *Arborem*, *Fruticem*, *Suffruticem*, *Herbam*: verba ſunt ejus: Ἐπεὶ δ'

συμβαίνει σαφέστερον εἶναι τὴν μάθησιν διαιρουμένων κατ' εἴδη, καλῶς ἔχει τοῦτο ποιεῖν, ἐφ' ὧν ἐνδέχεται· πρῶτα δέ ἐστι καὶ μέγιστα καὶ σχεδὸν ὑφ' ὧν πάντα τὰ πλεῖστα περιέχεται τάδε· δένδρον, θάμνος, φρύγανον, πόα, *Cum doctrina evidentius tradi ſoleat quando per ſpecies dividimus ; recte hunc in modum agetur , ubicunque fieri poſſit . Sunt itaque prima & maxima & à quibus omnia pene aut certe plurima continentur , Arbor , Frutex, Suffrutex , Herba.*

De *Suffrutice* , quem & cremium & virgultum paſſim vocitant , lis adhuc dubia eſt , præſertim cum ne ipſe quidem Theophraſtus ſatis ſibi conſtet : ibi enim non perſequitur niſi tria : initium autem lib. 6. oſtendit eum conſtanter ſervare illa quatuor, *Arborem*, *Fruticem*, *Suffruticem* , *Herbam*. Equidem nolo in ambiguitate tanta rei ſtatuere quidquam temere de mente Theophraſti : veriſimillimum tamen eſt, inter *Herbam* & *Fruticem* eſſe aliquid naturæ mediæ , de quo ille cogitavit.

Differentia quæſita eſt alia in Caulis magnitudine , ſubſtantia , & numero : nam quia *Arbor* eſt μονοστέλεχες , à radice exſurgens ſimplici trunco in maximam altitudinem ; *Frutex* eſt πολυστέλεχες caudice multiplici ſtaturæ mediocris; *Cremium* ſeu *Virgultum* , modo ſtipite ſimplici, modo multiplici eſt & lignoſo quidem ſed humili ; *Herba* tandem ἀστέλεχες caudice lignoſo deſtituta , foliaque ſua ſtatim explicans pone radicem, teneriore caule ſemina ferens : factum inde eſt , ut nonnulli quatuor illas ſtirpium Claſſes defenderent : alii tres

tan-

tantum approbarent, omiſſis *Suffruticibus*; quidam paucioribus etiam contenti, *Arborum Herbarumque* genere cuncta colligerent.

Arboris & *Herbæ* generibus ita poſitis, Philoſophi & in hoc ſtudio ſolertes homines, difficultate perſpecta, quam in utroque, præſertim vero in *Herbarum* genere, paritura addiſcere & meminiſſe volentibus eſſet multitudo ſpecierum confuſa; doctrinæ & memoriæ conſulturi, eas adhuc in genera inferiora ſive ſubalterna dividendas putaverunt: quod variis modis aggreſſi ſunt, attendentes maxime ſimilitudinem, qua convenirent inter ſeſe partes Plantarum præcipuæ, *Flores*, *Fructus*, *Folia*, *Caules*, *Radices*. Itaque à Florum figura referente *Papilionem*, fuere Claſſes *Papilionacearum*, vel *Campanam* referente, *Campaniformium*: à florum diſpoſitione Herbæ *Capitatæ*, *Corymbiferæ*, *Umbelliferæ*, *Verticillatæ*: à fructibus, Arbores *Glandiferæ*, *Nuciferæ*, *Pomiferæ*, *Bacciferæ*, *Frutices leguminoſi*, *Herbæ ſiliquoſæ capſulaſque ferentes*: à foliis circum caulem inſtar *Stellæ* Claſſis exiſtit *Stellatarum*: à foliorum aſpera ſuperficie prodiere *Aſperifoliæ*: à forma, textura, ſoliditate earum *Rotundifoliæ*, *Nervifoliæ*, *Succulentæ*: à caulis motu *Scandentes*: à radicis figura & compoſitione *Bulboſæ*: norma eadem Familiæ conditæ aliæ.

Denique cum neque genera hæc *Herbas* exhaurirent, alia adjecerunt: à loco natali; unde aliæ *Arvenſes*, *Sylveſtres*, *Saxatiles*, *Marinæ*, *Paluſtres*, *Exoticæ*: ab uſibus quos hominibus ſuppe-

di-

ditant ; unde Claſſes continentes *Olera*, *Frumenta*, *Aromata* : ab ornamentis ad quæ adhibentur, ut ad ſerta & corollas nectendas ob florum formam & venuſtatem ; ex quo *Coronariæ* : & quæcunque ſunt aliæ ſimiles partitiones Vegetabilium.

Quidam ut magis univerſalem Methodum inſtituerent, digeſſere Plantas ſecundum ſeriem Alphabeti ; ut Galenus, qui ſecutus primam literam nominis, quo planta quæque Græce appellaretur, eas ita ordinavit ut quæ ab Α prima Græcorum litera inciperent, conjiceret in Claſſem primam ; quæ à Β ſecunda litera, in ſecundam ; quæ à Γ tertia, in tertiam, ſic deinceps : narratque Pamphilum Tractatum de Herbis hunc in modum compoſuiſſe. Ordinem hujuſmodi imitatus eſt Paulus Ægineta.

Nonnulli ſecundum anni tempora diſtribuere, alias *Vernas*, alias *Æſtivas*, alias *Autumnales*, alias *Hybernas* : ita Beſſerus Horti Eyſtettenſis Autor, & Jacobus Horſtius in Herbario ſuo. Fuerunt qui in Plantis centuriandis ſpectarent earum vires, & facultates, ut ParKinſonius : alii à foliorum ſimilitudine plantas ad eandem claſſem reduxerunt, ut Matthiolus : itemque fuerunt qui in partiendo adnotarent ſignaturam externam.

Ad extremum alii oculatiſſimi eruditiſſimique, Botanicorum Anteſignani Cæſalpinus, Conradus Geſnerus, & Fabius Columna, partibus ceteris neglectis, à florum fructuumque præſertim diſcrimine dividendas Herbas cenſuerunt. Aperte

Geſne-

Geſnerus *in Epiſt. ad Adolphum Occonem Medicum Auguſtanum p. 65.* "Meliſſa Conſtantinopolitana ad "Lamium vel Urticam mortuam quodammodo vi- "detur accedere; ſeminis tamen, unde ego co- "gnationes ſtirpium indicare ſoleo, figura differt. *In Epiſtola etiam* 103. "Ex his enim potius quam "ex foliis ſtirpium naturæ & cognationes apparent. "His notis à fructu, ſemine, & flore Staphiſagriam "& conſolidam regalem vulgo dictam Aconito "συμφύλες εἶναι βοτάνας facile deprehendi. Palam hoc etiam docet Fabius Columna: "Foliorum effigies in conferendis generibus parvi faci- "mus: non enim ex foliis, ſed ex flore, ſeminiſ- "que conceptaculo, & ipſo potius ſemine planta- "rum affinitatem dijudicamus, reſpondente præſer- "tim ſapore.

Optandum illud eſſet ut viri ingenio doctrinaque præſtantes non ſolum rationem indicaſſent conſtituendi plantarum genera, ſed etiam ipſi ea ſigillatim recenſuiſſent: quod anno 1583 tentavit aliquo modo Cæſalpinus, ætate vero noſtra viri ſcientiæ hujus peritiſſimi Moriſon, Rajus, Rivinus, Hermannus, & Tournefortius ſumma cum laude præſtiterunt.

Antequam Methodos Botanicorum expendam, oſtendamque, quantopere Methodis reliquis illa antecellat, quam homo clariſſimus Tournefortius excogitavit, tum quia magis quam aliæ univerſalis eſt, tum quia & diſtinctior & brevior multo eſt, tum firmior longe ac ſtabilior: non abs re fuerit

pau-

paucis Methodum exhibere, quam ſervant in plantis diſponendis, & Philoſophos hìc imitari, qui priuſquam inveſtigare cauſas naturales aggrediantur, id agunt, ut phænomena præeant.

"Et merito, ait Cæſalpinus *l.* 1. *de fructu*, *&* "*ſemine* ex frutificandi modo multa emerſerunt ge-"nera plantarum. In nullis aliis partibus tantam "organorum multitudinem, & diſtinctionem natura "molita eſt, quanta in fructibus condendis ſpe-"ctatur.

CÆSALPINUS. Poſtquam igitur Cæſalpinus libro 1. de Plantis verba fecit in genere, inchoat librum 2. à mentione arborum ſimpliciorum, quarum ſemina ita ſedent, ut cor eorum non in ſedem fructus ſed exterius vergat; progreditur libro 3. ad eas, quarum ſemina cor in inferiori parte habent, qua ſcilicet aut pediculo fructus aut conceptaculo adnectuntur. His ob affinitatem Frutices conjungit, Libro autem 4. ad Suffrutices, Herbaſque accedit, & in iis perquirendis hæret huic ordini. Agit primum de illis, quæ ſolitaria ferunt ſemina ſub ſingulis floribus aut ſolitarium ſeminum conceptaculum: deinde, quæ bina ſub eodem flore continent vel ſemina vel ſeminum conceptacula: tum, quæ ſemina terna: poſt, quæ quaterna aut plura eadem ratione includunt: ad extremum, quæ ſecundum propriam naturam nullum ſemen: hiſque univerſam Plantarum Hiſtoriam abſolvit.

MORISON. Robertus Moriſon ut hanc Methodum emendaret, non dubitavit diſtributiones alias comminiſci,

qui-

quibus potiſſimum ſemina nuda diſtinguerentur ab iis, quorum ſemina certis pericarpiis incluſa eſſent. Ut autem nova methodus haberetur, id præcipue curavit, ut in *Tabulas*, quas ita nominat, *affinitatis & conſanguinitatis*, Plantas deſcriberet. Tum Cæſalpinus, tum Moriſon utuntur fundamento eodem: eſtque *fructificatio*, ſive *fructuum florumque ſitus*: reliquo autem tractandi modo non parum diſcrepant, ut ex eorum collatione ſatis elucet. Ad hanc enim diſtributionem generum infimorum & ſpecierum reſpicere interpretandus Moriſon eſt, cum *in Præfatione Hiſt. Univ. Oxon.* affirmat, "neminem ante ſe methodum veram & genuinam "eandem, ſeu eodem ſemper ſe modo habentem, "immo numeris ſuis omnibus abſolutam detexiſſe; "ſed non niſi confuſum chaos inveniri ubique: "nullum in hæc penetralia fuiſſe ingreſſum ante ſe "aut ſecreta veræ methodi tradidiſſe. Ita autem "concludit: nullum ante ſe à nota illa generica ac "eſſentiali in methodum vegetabilia per tabulas "cognationis, & affinitatis reduxiſſe. Et *in Hiſt. Oxon. p.* 105. occaſionem nactus ex Aſtragalo, ait. "Subit animum jam ſumma admiratio dum tot Doctorum hominum ſcripta de re Botanica evolvo "& profundius penetro perpaucos finem ultimum "rite conſiderantes extitiſſe, ideſt modum florendi, capſulas & ſemina producendi, qui in plantis omnibus eſt regula infallibilis: nam quæcunque plantæ ad eundem modum florent, & capſulas ſeminales & ſemina conformia producunt,

F pro-

"proculdubio eodem debent reduci, ibidemque "collocari, natura non variante finem ultimum. Utinam acuratius Regulam iſtam Moriſon ipſe obſervaſſet: at de hoc in parte altera Critica hujus diſſertationis: ſatis modo ſit Botanicorum Methodos proferre brevibus.

RAJUS Rajo conſilium fuit accommodandi Methodum ſuam ad Plantarum genera probata pleriſque Botanicorum, ut *Umbelliferarum*, *Verticillatarum*, *Papilionaceo flore præditarum*, & hujuſmodi. Et quanvis a flore, fructu, & partibus Plantarum præcipuis concedat recte earum diſcrimina ſumi: ſi tamen partes quoque aliæ notas certiores clarioreſque fundant, non veretur illas vel ſeorſim ſingulas, vel cum aliis ſociatas, ad diſcriminandum adhibere. Ita ratiocinatus ſternit viam methodo ſuæ.

Ex Raji ſententia Herbarum prima diviſio ducenda eſt à parte Organica, una, vel pluribus principalibus, quibus pleraque genera conſtant, nonnulla deſtituta ſunt. Sunt Organicæ Plantarum partes *Radix*, *Caulis*, *Folia*, *Flos*, *Fructus*. Ex his *Radix* nullis deeſt; *Folia* pauciſſimis: *Caulis*, quibus deeſſe videtur, vicem ejus ſupplent folia proferentia fructus, & flores, ut videmus in *Capillaribus*: *Flos & fructus*, à quibus abſit aut alteruter aut uterque, eæ ſolent haberi *Herbæ Imperfectæ*, ut contra *Perfectæ* reliquæ.

Viam hanc inſiſtens Rajus, *florem fructumque* animadvertit conſtare partibus pluribus; *florem*,

un-

undequaque perfectum, *perianthio*, *petalis*, *ſtaminibus* cum ſuis *apicibus*, & *ſtylo*; e quibus *petala*, & *ſtamina* cum *apicibus* ad integritatem Floris ſpectant, *Perianthium* ad tutelam: *Fructum* conſtare ex *ſemine* & *pericarpio*.

Herbas *perfectas* dividit in eas, quæ flore ſunt *imperfecto*, videlicet *Apetalo Stamineoque*, & quæ *perfecto*, ideſt tum *ſtaminibus*, tum *petalis* inſtructo; quanvis harum nonnullæ perianthio careant. Deinde illas, quæ *florem* habent *perfectum* reſpectu *fructuum*, diſtinguit in eas, quæ pro fructu ſemen habent nullum, ſeu nullo præter perianthium vaſculo tectum aut exceptum, quæque ſemen pericarpio aliquo aut vaſculo à perianthio diverſo incluſum aut exceptum, quæ omnium perfectiſſimæ videntur.

His diviſionibus conſtitutis, viſa Rajo res eſt apta naturæ, diſtribuere *herbas omnes* in *genera quatuor*.

Primo ergo loco *in Hiſt. Plant.* eas exhibet quas Botanici vulgo imperfectas vocant, quæ vel *flore* & *fructu* ſimul, vel ſaltem *flore* carent. Hujus generis ſunt *Fungi*, *Muſci*, *Fuci*: aquis perpetuo immerſæ *Ophioglossum*, *Kali geniculatum*, & ſi quæ ſunt ſimiles.

Stirpium autem imperfectarum notam conſtituit, *flore* & *ſemine* carere. "Verum, inquit Rajus "*in Epiſt. ad Cl. Rivinum* Fucos & Algas ſeminiferas eſſe, idoneorum teſtium fide, partim etiam "*αὐτοψίᾳ* didici: ideoque imperfectis accenſendi

non ſunt. His rationibus ductus *in methodo Plantarum emend. & auct.*, rejicit illam ſtirpium diviſionem in *Imperfectas*, & *Perfectas*; eaſque diſtribuit in *Flore deſtitutas*, & *Floriferas*. Flore deſtitutas iterum partitur in *Aquis immerſas* ſeu ſalſis ſeu dulcibus, & extra aquas naſcentes. Hoc genere comprehenduntur plantæ *Capillares* dictæ, quarum notam facit ſemen minutiſſimum pulvereum foliis & plerunque averſis innaſcens.

Secundo loco, præfatus reliquarum herbarum diviſionem in Dicotyledones, & Monocotyledones, plantas recenſet flore imperfecto apetalo, ſeu ſtamineo donatas.

Tertium locum iis attribuit, quæ florem habent perfectum, ideſt Petalodem, ſeu bracteatum, verum ſemina nuda, hoc eſt, nullo præter perianthium vaſculo incluſa aut excepta.

Quarto loco eas proponit, quæ tum florem petalodem, tum ſemen pericarpio ſeu vaſculo incluſum, aut exceptum obtinent.

Ingenue Rajus fatetur ſe in hac diviſione duas experiri difficultates: unam in diſtinguendo Florem *apetalon*, ſeu ſtamineum, *a petalode*, ſeu bracteato: alteram in diſtinguendo ſemen nudum ab eo quod incluſum exceptumve eſt pericarpio ſive vaſculo.

RIVINUS Anno 1690 vir præſtantiſſimus Rivinus, Phyſiologiæ in Academia Lipſienſi Profeſſor, *novam ſtirpium methodum*, ſecundum *florum differentias*, tum *numerum petalorum*, tum etiam *figuram regularem*

aut

aut *irregularem* in lucem edidit: ubi ad plantas diſponendas ſubſidium omne petit *a floribus*. Plantas omnes diſpeſcit in duo ſumma genera, in *flore carentes*, & in *floriferas*. Si nullus unquam flos appareat, planta pertinebit ad ordinem peculiarem, earum ſcilicet, quæ flore omnino carent: ſin prædita flore ſit, ad aliud ſummum genus pertinebit.

Flores, ex Rivini ſententia, alii ſunt *regulares*, alii *irregulares*. Sunt enim quidam illorum adeo *regulares* (verba ejus ſunt) ſeu uniformes, & quaſi tornatilis figuræ ſtylo Joach. Jungii; ut ſi circulus circumſcribatur e floris centro ſeu umbilico, harmonice conſpirent omnia. Sunt e contrario alii etiam, qui à regulari figura plus minuſve declinant, unde *difformes* aut *irregulares* audiunt. Regularium autem ſunt plurimi, nempe ſimplices, atque compoſiti.

Tabula ſequens commode ſubjiciet oculis plantarum Diviſiones, quæ juxta Rivinum baſes & fundamenta ſunt.

TA.

TABULA GENERALIS

CONTINENS

SUMMA PLANTARUM GENERA.

- Plantarum quædam flore
  - gaudent
    - perfecto
      - regulari
        - ſimplici
          - Monopetalo.
          - Tripetalo
          - Dipetalo.
          - Tetrapetalo
          - Pentapetalo
          - Hexapetalo
          - Polypetalo
        - compoſito
          - Ex regularibus tantum
          - Ex regularibus, & irregularibus ſimul
          - Ex irregularibus tantum.
      - irregulari
        - Monopetalo
        - Dipetalo
        - Tripetalo
        - Tetrapetalo
        - Pentapetalo
        - Hexapetalo.
    - imperfecto
  - carent

Vir doctiſſimus contulit in ordinem herbas tantum, quæ ſunt flore *irregulari* monoptalo, tetrapetalo, pentaptalo.

Clariſſimus Hermannus Plantas omnes partitur in duo ſumma genera, in Plantas *angioſpermas* ſeu ſeminibus nudis, & in *capſulatas* ſeu ſemina in capſulis ferentes: Hæc porro ſumma genera duo ſecantur in alia ſubalterna varia, quæ viſum nobis dare ſub aſpectum: ſic enim facillime fiet ut qui cum his conferat ordines Tournefortii, deprehendat illico, qua in re vel conveniant vel diſſentiant. Nos in hac *Methodo* perſequenda tenebimus ordinem, quem Olaus Rudbekius. Sicut enim ipſe obſervat in *Tract. de funadam. plant. notitia*: in Flora Lugduno Batava Plantæ eo modo diſpoſitæ ſunt, quo in Horto Academico: ita ut primo loco cernantur Angiopolyſpermæ, non quod hæ primæ eſſe debeant naturæ ordine, ſed quia flores ſuos oſtendant primo vere; ac tunc Botanicus ille magnus incipiens celebrare collegia ſua, aliquas tunc haberet, quas jam florentes demonſtraret. HERMANNUS.

I.

Plantæ ſunt ANGIOMONOSPERMÆ, non pappeſcentes ſeu ſeminibus nudis poſt ſingulos flores ſingulis. His affines, ſeu potius MONOCARPÆ fructu unico nucleos geminos includente. Sequuntur CORYMBIFERÆ ſeu ſeminibus ſolidis nudis, floribus ut plurimum diſcoideis radia-

dia-

diatis. Quibus proximæ PLANTÆ SEMINIBUS SOLIDIS, floribus plurimis in capitulum congeſtis. Harum ſocietatem amant plantæ SEMINIBUS SOLIDIS NON PAPPESCENTES LACTESCENTES, floribus compoſitis.

II.

Plantæ STELLATÆ, ſeminibus poſt ſingulos flores nudis binis, floribus monopetalis in quatuor plerumque ſegmenta diſſectis, foliis ad ſingulos caulium nodos pluribus ſtellatim decuſſatis. Prope has jure affinitatis collocantur Plantæ UMBELLATÆ, ſeu ſeminibus nudis poſt ſingulos flores in Umbellæ formam congeſtos, binis.

III.

Plantæ ANGIOPOLYSPERMÆ, ſeu ſeminibus nudis pluribus ſequentibus ſingulos flores. Poſt Angiopolyſpermas proxime ſequuntur ANGIOMONOSPERMÆ PAPPESCENTES floribus pentapetaloidibus quaſi in umbellam congeſtis. Item Plantæ CAPITATÆ PAPPESCENTES, floribus fiſtuloſis e Capitulis ſquamatis, prodeuntibus. Poſt has Plantæ PAPPESCENTES non LACTESCENTES, flore compoſito plerumque diſcoideo radiato. Ultimæ tandem in Claſſe hac Plantæ PAPPESCENTES, & LACTESCENTES flore compoſito natura ſemper fere pleno.

Sic

IV.

Sic abſoluto uno ſummo genere Plantas Angioſpermas ſeu ſeminibus nudis continente: alterum Plantas *Capſulatas* comprehendit ſeu illas quæ ſemina ſua in certis thecis vel conceptaculis a perianthio diſtinctis fovent. Quas inter primæ ſunt Plantæ ASPERIFOLIÆ nuncupatæ, ſeminibus poſt ſingulos flores natura quaternis, in utriculis apertis. Quibus proximæ accenſentur Plantæ VERTICILLATÆ, ſeminibus more Aſperifoliarum plerumque quaternis, in vaſculis apertis, foliis conjugatis ſeu ex adverſo binis; ſuntque vel floribus galeatis, & labiatis; vel floribus galeatis, vix labiatis; vel labiatis, non galeatis; vel tandem floribus neque galeatis, neque labiatis, ſed quadrifidis aut quinquifidis.

V.

Poſt Aſperifolias, atque Verticillatas quaterna ſemina in thecis ſuis ut plurimum foventes, ſequuntur aliæ capſulatæ certum in ſeminibus numerum vix ſervantes. Sunt autem hæ 1. Plantæ UNICAPSULARES ſeu quæ ſemina plura in una capſula a perianthio diſtincta habent. 2. Plantæ BICAPSULARES. 3. Plantæ TRICAPSULARES, [quarum duo genera: alterum ſeminibus pluribus, alterum nonniſi ternis conſtat, unde etiam hæ poſteriores *Tricoccæ* dicuntur; ſuntque vel *Lacteſcentes* vel non *Lacteſcentes*. 4. Plantæ

QUADRICAPSULARES . 5. Plantæ QUINQUECAPSULARES, quæ rurſus ſunt vel Pentacoccæ, vel *capſulis pentagonis in quinque partes diſſilientibus*; vel denique *ſeminibus in vaſculis pluribus*. 6. Plantæ MULTICAPSULARES; quo nomine cunctæ illæ ſignificantur, quæ plures, quam quinque capſulas ſeu loculamenta habent.

VI.

Plantis Siliculoſis jure cognationis ſunt Siliquoſæ proximæ. Primæ inter has propter ſimplicitatem ſunt SILIQUOSÆ UNICAPSULARES UNIVALVES; ſunt autem hæ vel ſeminibus ſine lanugine, vel ſeminibus cum lanugine. His aggregantur Plantæ UNICAPSULARES BIVALVES, ſeu capſula unica in binas valvas, nullo pariete intergerino diſſiliente donatæ. Accedunt SILIQUOSÆ UNICAPSULARES QUADRIVALVES; ſeu ſiliquis in quatuor partes diſrumpentibus, ſemine vel lanuginoſo, vel non lanuginoſo. His interſeruntur Plantæ SILIQUOSÆ BICAPSULARES UNIVALVES, ſiliquis ſepto intermedio diſtinctis, floribus tetrapetalis. Quibus annectuntur Plantæ SILIQUOSÆ FUNGOSÆ, hoc eſt, quæ ſemina ſua in ſiliquis fungoſa materia farctis occultant, flore tetrapetalo. Succedunt MULTISILIQUÆ PLANTÆ, ſeu vaſculis pluribus ſimul junctis ſequentibus unum florem.

Miſſis

VII.

Miſſis multiſiliquis, ſuccedit aliud Plantarum Siliquoſarum genus quod *leguminoſum* dicitur, & duplex eſt: unum conſtituunt Plantæ LEGUMINOSÆ Siliquoſæ bivalves unicapſulares, flore papilionaceo. Alterum leguminoſarum genus componunt plantæ ſiliquoſæ bicapſulares, ſive ſiliqua gemella, flore papilionaceo. Flos autem Papilionaceus eſt qui ex quatuor petalis componitur, quorum primum latum, atque erectum *vexillum* dicitur. Secundum deinde huic ſubjacens anguſtum, & carinatum, *proboſcidis* nomine connotatur. Tertium denique & quartum, quia ab horum lateribus viſuntur alarum inſtar, *alæ* nuncupantur. Hæc quatuor ſimul juncta florem papilionaceum difformem conſtituunt. Claſſi huic ſubnectuntur Plantæ SILICULOSÆ BICAPSULARES UNIVALVES cum ſepto intermedio, flore tetrapetalo, dictæ.

VIII.

Occurrunt Plantæ TRICAPSULARES alius generis, & a reliquis de quibus antea diximus, longe diverſæ. Hæ enim flore ſunt vel HEXAPETALO, radice aut bulboſa, aut fuſiformi, aut fibroſa: vel FLORE EX THECA UNIVALVI, radice aut bulboſa, aut tuberoſa. Quin & ordinem hunc ſervant Plantæ TRICAPSULARES RADICE TUBEROSA, flore enneapetalo, hexapeta-

lo: RADICE FIBROSA, flore bipetalo: RADICE ORBICULATA flore pentapetalo. FLORE MONOPETALO, RICTU, & LABIO VARIO, radice teſticulata, palmata, fibroſa, ſquamata; FLORE HEXAPETALO, radice fibroſa.

IX.

Quæ reſtant hujus ſummi generis plantæ, BACCIFERÆ ſunt, atque POMIFERÆ, a fructu ſic nominatæ, ita ut BACCIFERÆ ſint quæ fructum habent minorem mollem, in quo ſemina, membrana tenui tectum; POMIFERÆ autem, quæ ſub cortice craſſiori fructum pulpa molli, humida, ſemina ambiente, donatum fovent.

X.

A Plantis, quæ proprie ad hæc ſumma duo genera referuntur, ad aliud deſcenditur quaſi peculiare plantarum genus, & ab his duobus prioribus quodammodo diverſum, ad plantas nimirum APETALAS, STAMINEAS, & MUSCOSAS.

XI.

Reliquæ hoc ordine numerantur. 1. Plantæ CULMIFERÆ, floribus muſcoſis. 2. Plantæ floribus muſcoſis in clavam compactis, & in lanuginem vel pappam abeuntibus. 3. Floribus aſpergillum imitantibus, & in echinatam pillulam congeſtis. 4. EPIPHILOSPERMÆ, ſeu dorſiferæ dictæ.

5. Plan-

5. Plantæ CULMIFERÆ graminifoliæ granis majoribus, floribus ſtamineis. 6. GRAMINIFOLIÆ granis minoribus. 7. NON CVLMIFERÆ floribus ſtaminoſis.

XII.

Ordo jam ad ipſas pervenit Arbores, & Frutices, ſeu Arbores minores, quæ item pro diverſitate fructuum & florum diverſa genera ſerie ſequenti conſtituunt. Arbores caudice ſimplici non ramoſo, gemma ſimul & ſemel unica. Arbores caudice ramoſo coniferæ, & reſiniferæ. JVLIFERÆ coniferæ non reſiniferæ, nuciferæ, glandiferæ, bacciferæ, lanigeræ, vaſculis foliaceis, baccis e multis acinis coagmentatis.

XIII.

Arbores POMIFERÆ, floribus intra fructus occultatis. FRUCTIBUS IN SUMMO UMBILICATIS, ſeu Floribus fructui inſidentibus, polypyrenæ. Bacciferæ polypyrenæ, dipyrenæ, monopyrenæ. Arbores FRUCTIBUS IN SVMMO NON UMBILICATIS, & floribus imo fructui inſidentibus. Pomiferæ polypyrenæ. Pruniferæ monopyrenæ. Bacciferæ monopyrenæ caliculatæ. Bacciferæ monopyrenæ non caliculatæ ſed nudæ. Bacciferæ dipyrenæ, tripyrenæ, tetrapyrenæ, polypyrenæ.

Ar-

XIV.

Arbores FRUCTU PER NATURAM ſicco monococco. Fructu tricapſulari. Fructu polyſpermo. Fructu membranaceo folliculato. Fructu membranaceo alato depreſſo. Seminibus lanuginoſis. Arbores ſiliquoſæ.

TOURNEFORTIUS. Attamen, quod ſine ullius injuria dictum ſit, ſalva dictum & incolumi Botanici cujuſque laude, quam promeritus eſt induſtria & opere collato in medium, Tournefortius excellere creditur reliquis omnibus, Inſtitutor Rei Herbariæ, cui ad hanc uſque diem ſit nemo alius comparandus.

Methodus Tournefortii in duobus omnino vertitur. 1. Plantæ in genera quædam rediguntur, ut communi quodam vocabulo comprehenſæ facilius dignoſcantur. 2. Genera ipſa ſeu ſpecierum collectiones ita diſtributa ſunt in ſuas Claſſes, ut earum auxilio unuſquiſque poſſit ex tempore ſine præceptore obviæ ſibi plantæ nomen invenire.

Quod ad genera plantarum ſpectat: Tournefortius diligentius examinat, an genera plantarum conſtitui oporteat ex mutua quinque harum partium ſtructura quadam, radice, caule, foliis, flore, & fructu; utrum ex una tantum, an ex pluribus inter ſe conjunctis. Palam eſt, non omnes illas partes, ac ne quatuor quidem ad conſtituenda genera conſpirare; cum ne duæ quidem plantarum ſpecies in omnium partium conſenſu, vel in quatuor, aut tribus ſimul ſumptis conveniant.

Tot

Tot enim fere genera ponenda eſſent, quot ſpecies, ſi tanta partium cognatio ad generis alicujus conſtitutionem requireretur. Hoc patet Ranunculorum exemplo, quorum ſpecies quædam radices habent tuberoſas, aliæ fibroſas, aliæ grumoſas. Si vero utamur quatuor partibus ad definiendum generis characterem; plantæ ſpeciem, non genus deſignabunt. Differentiæ truncorum, & radicum pauciores ſunt, quam ut generum varietatem inducant. Ad hanc rem magis idonea pleriſque videntur folia: ſed ubi flores & fructus ſe produnt, tanta plerumque in iis apparet diverſitas, ut plantæ, quæ ob ſimilem foliorum ſtructuram ſunt conſimiles, eodem genere cenſeri non poſſint citra magnam hujus ſcientiæ confuſionem. Flores ad hanc rem non ſufficiunt; in pleriſque enim plantis diverſi generis conſimiles ſunt: hoc apparet in campanulis, convolvulis, leguminibus. Quare rationibus omnibus ſubductis, duarum aut ad ſummum trium partium cognatio in ſtirpibus requiritur ad earum genera definienda. Inutilis eſt comparatio Radicum cum Foliis: ſic enim quæ eodem genere v. g. Ranunculorum continentur, ad plura genera eſſent referenda. Idem eveniet, ſi Flores cum Radicibus, aut Folia cum Seminibus comparentur. Reliquum igitur, ut Flores cum Fructibus conjuncti cum aliis Floribus & Seminibus conferantur. Inſignes illæ ſunt cognationes, eæque animo altius inſident, ut in Ranunculis, & Roſis videre eſt, uti & in Campa-

nulis,

nulis, Convolvulis, Chariophyllis. Quin etiam ſtirpium ſpecies, quæ hactenus ſunt conſtitutæ, maxima ex parte in Flore & Fructu hanc habent ſimilitudinem.

Cum hæc ita ſint; regulas has in generum conſtitutione Tournefortius ſequutus eſt, non quidem perpetuas, cum in Re Herbaria aliquid uſui aut ſenſibus concedendum eſſe ipſe fateatur; ſed ab illis raro, nec niſi gravi de cauſa ſe declinaſſe affirmat.

1. Plantæ, quæ floribus & fructibus, vel alterutro carent, in genera redigi debent ratione rerum magis inſignium; perinde ac illæ quarum flores & fructus ſolo microſcopio patefiunt.

2. Floris ſimul & fructus ſtructura ſemper utendum eſt ad conſtituenda genera plantarum, quæ flores & fructus habent.

3. Floribus & fructibus ſtandum eſt, cum abunde ſufficiunt ad genera diſtinguenda.

4. Ceteræ omnes plantarum partes, earumque affectiones in auxilium vocari debent, ut genera recte diſtinguantur, cum flos & fructus non ſufficiunt.

Idcirco genera conſtituit primi, & ſecundi ordinis. Quæ floris & fructus ſtructura continentur, ut Roſa, Aconitum, Papaver, ea primi ordinis appellat. Secundi vero, quæ præter florem & fructum, aliquid aliud admittunt ex ceteris plantarum partibus deſumptum, ut Trifolium, Lotus, Polium aliaque multa. Verum totum negotium ſitum eſt

in

in uſurpandis tantum quæ neceſſaria, & rejiciendis quæ aliena videntur, ne immoderata licentia turbas pariat.

Notæ genericæ a ſpecificis accurate diſtinguendæ ſunt. Specificas appellat, quæ ſpeciebus tantum conveniunt ſive nonnullis ſive omnibus, quæ notæ ſunt, cum tamen ad generis naturam nequaquam requirantur.

Atque hæc de Plantarum Generibus.

In contemplandis ſtirpibus his vix confuſio vitari poteſt, niſi ſtirpes ipſæ, quaſi milites in exercitu, in certos ordines inſtruantur. Unde non id ſatis viſum eſt Tournefortio, plantas ad ſua genera ex naturæ præſcripto, non ex alicujus arbitrio, ut plerumque fit, revocare: ſed ipſa quoque genera quaſi in Claſſes, atque in ordines varios, quo dignoſci facilius poſſent, omnino diſtribuenda eſſe exiſtimavit: adeo ut genus ſit inſtar cohortis, vel ordinis militaris, Claſſis inſtar legionis.

Claſſem aliquam aut ordinem plantarum aſſignare non aliud quiddam eſt, quam aliquid invenire, in quo aliquot genera conveniant, atque ab aliis ſejungantur: neque illud, quicquid eſt, quod certum plantarum ordinem, vel Claſſem conſtituit, ex noſtro pendet arbitrio, ſed ex naturali quadam generum cognatione, quæ ex floribus aut fructibus ducenda eſt, non ex utriſque ſimul junctis; alioquin non Claſſes ſed genera forent.

H Præ-

Præſtat unicam tantum partem uſurpare, ut Studioſi, qui plantas inquirunt, habeant adminiculum ad ignotas in tali Claſſe inveſtigandas; Claſſe enim reperta ad generis cognitionem facile devenitur: cognito vero genere, ſpecies ignota, & deſcripta nullo labore dignoſcitur, non deſcripta ad proprium genus revocatur. Hæc breviſſima eſt via, quæ ad Plantarum cognitionem ducat: ceteræ, utcumque ſpecioſæ, longe minus utiles ſunt. Si vero nunc foliorum, nunc florum, fructuum, caulium, aut radicum habeatur ratio, ad quam confugiet Claſſem, qui plantas ignorat?

Cæſalpinus & Hermannus viri nunquam ſatis commendabiles fructum ad hoc opus uſurparunt: Tournefortius vero florem, qui fructu hoc loco potior illi viſus. Nam ſi ſtatuamus Claſſes ratione fructus, plantæ ignotæ inveſtigatio fieri debet ab ea parte; ac tunc annus proximus expectandus, ut altera generis pars, flos nempe, patefiat, cum flores ut plurimum evanuerint fructu maturo. Contra vero ſi floribus utamur, inquiſitio plantæ ignotæ fit a floris forma.

Ex varia florum ſtructura Tournefortius plantas in viginti duas Claſſes diſtribuit, quarum ſingulæ varia genera complectuntur (XVI. vero Claſſis conſtat ex Herbis & Suffruticibus, quæ floribus carent, & ſemine donantur. XVII. de Herbis, & Suffruticibus, quarum flores & fructus vulgo deſiderantur.) In Floribus majus quoddam naturæ artificium, quam in aliis plantarum partibus

bus ſe prodit, atque in earum ſtructura minor mutationi patet locus.

Differentiæ vero florum, intra ſpatium paucarum horarum (ut ipſe teſtatur Tournefortius) addiſci poſſunt. Monopetalων nempe, qui Campanam, Infundibulum, Rotam, aut Animalium Roſtrum repræſentant: Polypetalων, qui ad Crucis, Roſæ, Chariophylli, Lilii formam accedunt. Papilionaceorum, Floſculoſorum, Semifloſculoſorum, Radiatorum, demum eorum qui ſtaminibus tantum conficiuntur.

Ut dictorum ſumma redeat, conſtat Botanicos juxta mentem Tournefortii uti debere ſolo flore in Claſſium inſtitutione, qui Botanices clavis dici debet. In Generibus ſtatuendis florem ſimul, & fructum adhibere, vel aliam rem, ſi neceſſarium ſit. In ſpeciebus vero dignoſcendis omnes plantarum partes, earumque affectiones uſurpare.

Eſt hæc prima Diſſertationis noſtræ pars, quæ hiſtorice expoſuit quam breviſſime methodos varias, quibus in Plantis ordinandis uſi Botanici ſunt. Pars inde altera perpendet, quæ ſigna ſeu characteres ſint methodi veræ: ac ubi conſtituerimus, oportere methodum eſſe univerſalem, complectentem plantas omnes, diſtinctam, dilucidam, brevem, compendiariam, firmam, & immutabilem; probabimus, a methodo Tournefortii, collata cum methodis aliorum, nihil horum abeſſe. At quoniam pendet id ab obſervationibus infinitis, quarum non paucæ ſuperſunt demonſtrandæ, confir-

mandæque obſervationibus aliis; differendum arbitror.

Deſinamus illuc, ut hoc loco commemoremus quid emolumenti attulerint Neoterici labore ſuo. Nihil neceſſe addere iis, quæ eximius Rajus. Sunt verba ejus.

" 1. Genera ipſa infima accuratius definierunt, " & a ſe invicem diſtinxerunt, notis vel a florum, " vel a fructuum, vel ab utrorumque ſimul diffe- " rentiis petitis, ſpeciebus omnibus & ſolis con- " venientibus; unde plantas non paucas locis alie- " nis diſpoſitas ad proprias ſuas ſedes tranſtulerunt, " & ſtudioſis notas ſeu teſſeras dederunt, quibus in " memoriam retentis, quamcunque plantam inven- " tam aut oblatam, ad quod genus pertineat, il- " lico agnoſcant. Superioris quidem ſeculi Botanici " plantis a ſe obſervatis, aut inventis a ſimilitu- " dine aliqua cum jam cognitis nomina impoſuere, " Verum non ſemper a ſimilitudine ſeu convenien- " tia in parte aliqua principali, & maxime diſtin- " ctiva, *Flore* v.gr. aut *Fructu*, ſed interdum a " parte aut accidente, vel non omnibus iſtius Ge- " neris ſpeciebus, vel aliis pluribus communi, ut " *Folio* aut *Radice* aut *Caulis motu* &c. eas deno- " minarunt. Sic C. Bauhinus ob foliorum ſimilitu- " dinem *Apocynum rectum Ægyptiacum* ad Lapa- " thum retulit. Jo. Bauhinus *Helxinem Ciſſampe-* " *lon ſemine triangulo*, quod pariter caulibus ſcan- " deret, reliquis Convolvulis annumerat. Non in- " utiliter ergo Recentiores in hiſce emendandis,

" no-

"notiſque Generum characteriſticis, certis, claris,
"& genuinis inveſtigandis deſudarunt.

"2. Plantas omnes in Claſſes ſeu Genera ſum-"ma diſtribuerunt, quorum ſpecies notis inſigni-"bus a Florum, aut Fructuum differentiis petitis "convenirent, quanvis alias earum multæ nulla fe-"re cognatione junctæ eſſent: quæque ſpecies "omnes complecterentur nulla anomalia relicta.

Ὅλως

Ὅλως πολύχουν τὸ τῶν φυτῶν καὶ ποίκιλον καὶ χαλεπὸν εἰπεῖν καθόλου. *In totum planta res varia eſt atque multiplex, inque univerſum de ea referre difficile eſt. Theophr. Ereſſ. Hiſt. Plant. lib. 1. cap. 2.*

CLASSIS PRIMA

DE HERBIS ET SUFFRUTICIBUS

Flore Monopetalo, Campaniformi.

FLOS CAMPANIFORMIS, monopetalos eſt, formamque campanæ æmulatur. Hujus Floris quatuor ſpecies ſunt, quarum omnium mentionem faciemus in hac Claſſe. Campaniformis ſcilicet proprie dictus, qui maxime ad campanæ formam accedit: campaniformis tubulatus, qui anguſtus eſt, & oblongus: campaniformis patens, qui velut in pelvim expanditur: demum campaniformis globoſus, cujus os anguſtius eſt ventre.

SE-

SECTIO VI.

De Herbis flore monopetalo, campaniformi, ex cujus fundo tubus exurgit piſtillum excipiens quod in fructum multicapſularem abit.

GENUS I.

Malva vulgaris, flore majore, folio ſinuato I. B. 2. 949. *Malva ſylveſtris folio ſinuato C. B. Pin.* 314. *Malva ſylveſtris, major Tabern. Icon.* 768. *Malva erratica* 2. *vel Malva equina Brunſ.* ☼

LAtini Malvam a Gręco μαλάχη teſte Varrone vocarunt; μαλάχη vero dicitur ἀπὸ τῦ μαλάσσειν a ventre emolliendo, quod ob naturalem ſuum lentorem præſtat, ut Ægineta teſtatur. Athenæus tamen in multis Epicharmi, & Antiphanis exemplaribus μολόχην, non μαλάχην ſcriptum reperiri tradit. Atqui μολόχη Atticum eſt, aliorum μαλάχη. Ita veteres Grammatici ſanciunt. Magis arridet ſententia Salmaſii, qui credit μολόχην potius Æolicum eſſe, quam Atticum. Eorum quippe eſt *a* in *o* mutare ut ὀνόγυρον pro ἀνάγυρον, quod Atticum eſt, ὀνωνὶς pro ἀνωνὶς, βότις pro βάτις, & ſimilia ſexcenta.

CHARACTER GENERICUS. Malva eſt plantæ genus flore monopetalo, campaniformi, patente, & multifido: ex cujus fun-

ſundo emergit tubus pyramidatus, ſtaminibus plerunque onuſtus. Ex calyce vero ſurgit piſtillum, infimæ floris parti tuboque adinſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum planum, orbiculatum, quandoque acuminatum, calyce ut plurimum involutum, e plurimis capſulis conſtantem, axi ita circumhærentibus, ut ſingulæ ejus ſtriæ capſulam ſuam quaſi articulatione quadam excipiant, ſemine fætam non raro reniformi. His addenda ſunt folia minus quidem ſecta quam Alceæ, minuſque villoſa & incana quam Altheæ folia.

RADICE ſimplici, alba, paucis fibris capillata, alte in terram deſcendente, ſapore dulci, & viſcido prædita firmatur. CAULES ſeſquicubitales, & altiores, ex eadem radice plures, teretes, hirſuti, medulla farcti, ramoſi, minimi interdum digiti craſſitudine fere. FOLIA ſingulatim per intervalla caules veſtiunt, pediculis prælongis inſidentia. FLORES ex alis foliorum exeunt plures ſimul, pediculis longis, tenuibus, hirſutis, ampli, purpurei, ſaturatioribus lineis ſtriati, monopetali, quinque laciniis ſecti, cirris purpuraſcentibus medium occupantibus, CALYX qui florem, antequam aperitur, obvolvit, quinquepartitus arcte connivet, & quinque lineas eminentes oſtendit, quemadmodum Pentaphylli calyx. Quinque hæc calycis folia tria alia exterius circumſtant. SEMINA ſimul juncta compreſſi orbiculi umbilicati, ſeu caſeoli formam imitantur. Folia Malvæ vulgaris ima rotunda, in caulibus laciniata, atrovirentia, circum oras DESCRIPTIO JOANNIS RAII.

I cre-

crenata, brevi, & vix conſpicua lanugine hirſuta.

LOCUS Naſcitur ad ſepes, & ſemitas, inque locis ruderatis.

VARIETAS Variat interdum floris colore albo, quæ *Malva vulgaris flore albo Park.*

OBSERVATIO CRITICA. Tournefortius reprehendit merito Botanicos ſcriptores omnes, qui crediderint Malvæ flores eſſe pentapetalos, cum monopetali ſint: at debuit a cenſura ſua Rajum excipere, qui jam flores Malvæ deſcripſerat ut Monopetalos; ac bene ſe tuetur in *ſua Meth. Plant. auct. & emend.*

VIRES Præcipua hujus plantæ vis eſt in emolliendo, ut vel ipſum nomen indicat. Medici apozemati emollienti, ac edulcoranti ſemper Malvam admiſcent; cujus radix, flores, ſemina æqualiter humectant leniuntque ventrem, dolores ſedant remittunt urinæ acrimoniam, obſtant inflammationi. Remedium præſtantiſſimum ad mitigandam dyſuriam, quanvis jamdiu inſidentem & inveteratam, eſt apozema ex floribus Malvæ quotidie ſumptum, eo modo quo potio ex herba Thèe. Radix valet contra capitis furfures: quod ſatis declarant carmina ſequentia.

Eſt inſenſibilis morbus, ſed noxia forma,
Cum caput immenſa pexum porrigine ningit,
Copia farris uti frendentibus edita ſaxis:
Hanc poterit Malvæ radix decocta levare.

Virtutibus iiſdem prædita eſt, quibus Althea; ac caſdem ingreditur compoſitiones medicas: qua de re-

re copioſius loco ſuo, ubi ſimul analyſin chymicam proferemus.

Celebris apud Antiquos planta. Oſiridi dicata erat. Si per Oſirin Sol intelligatur, ut velle videntur doctiores Critici, non dubium eſt quin hoc fuerit quia *Malva* ſit ἡλιότροπος, hoc eſt, cum Sole convertatur, ut Theophraſto proditum *lib.* II. *de Cauſ. Plant. cap.* 26. quod etiam eleganti verſiculo Columella. ERUDITIO

Et Malache prono ſequitur quæ vertice ſolem.

Ulterius etiam Malvæ honos ſe extulit: ſiquidem legere eſt apud Lucianum *lib.* 2. *Ver. Hiſt.* in maximis fuiſſe periculis adoratam. Atque idem a Muſis adoratam ejus radicem ait *ſerm. adv. Indoct.* Inter donaria, Græcis ἀναθήματα, reponi ſolebat: ſanctimoniæ igitur erat argumentum. Refert Ælianus *lib.* 4. *c.* 17. *de V. H.* Pythagoram vocaſſe τῆς μαλάχης φύλλον ἱερώτατον, *Malvæ folium ſanctiſſimum.* Guillandinus contendit in malvæ foliis Myſteria ſua Sacerdotes ſcripſiſſe, ideoque folium ſanctiſſimum dictum. Non imus inficias Guillandino, cum id appareat etiam ex Iſidoro *lib.* 6. *c.* 12. *At vero hiſtoriæ majore modulo ſcribebantur, & non ſolum in charta vel membranis, ſed etiam & in omentis elephantis, textilibuſque malvarum foliis atque Palmarum.* At Guillandinus recte ſtatueret ideo Pythagoram appellaſſe ἱερώτατα malvacea folia, ſi tantum jura divina & humana, itemque τὰ θεολογούμενα fuiſſent ibi ſcripta. Sed cum veriſimile ſit etiam profana in malvaceis foliis ſcripta fuiſſe, eaque po-

tuiſſe malvam pati: perſuaſum habeo Pythagoram, dum malvæ folium ἱερώτατον dixit, alio reſpexiſſe; ad ſanctitatem videlicet eorum hominum, qui continentiſſimi & innocentiſſimi cum eſſent, illam ſeculi vivendi ἀτέλειαν, victus tenuitatem frugalitatemque adamabant, quam Poetæ βίον ῥῄϊστον vocant, malva aſphodeloque tanquam ſimpliciſſimo atque parciſſimo cibo contenti. Heſiodus *in Erg.*

Νήπιοι· οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός,
Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.
Stulti neque ſciunt quanto plus dimidium ſit toto,
Neque quam magnum in malva, & aſphodelo bonum.

In hunc Heſidi verſum Proclus hæc. Ἕρμιππος ἐν τῷ τῶν ἑπτὰ σοφῶν, περὶ τῆς ἀλίμου λέγει· μέμνηται δὲ τῆς ἀλίμου καὶ Ἡρόδοτος ἐν τῷ πέμπτῳ τοῦ καθ' Ἡρακλέα λόγου· καὶ Πλάτων ἐν γ· τῶν νόμων, Ἐπιμενίδην φησὶ μικρόν τι ἐδεσμάτιον προσφερόμενον, ὧδε διαπελεῖν τὴν ἡμέραν· ἦν δὲ ἐξ ἀσφοδέλου καὶ μαλάχης· ὅπερ αὐτὸν ἄλιμον καὶ ἄδιψον ἐποίει. *Hermippus in libro ſeptem ſapientum de balimo verba facit: meminit & hujus Herodotus in quinto de Hercule ſermone: & Plato lib. 3. de legibus. Epimenidem ait modicum parvumque edulium obtuliſſe, quo per integrum diem vita ſuſtineri poterat: componebatur autem ex aſphodelo malvaque: quod illum alimum & adipſum ſervabat.* Plutarchus in *Conviv. Sept. Sap.* quendam ſic loquentem inducit. θαυμάζω δέ σου τὸν ξένον, ὦ Σόλων, εἰ Δηλίοις ἔναγχος ποιησάμενος τὸν μέγαν καθαρμὸν, οὐχ ἱστόρησε παρ' αὐτοῖς εἰς τὸ ἱερὸν κομιζόμενα τῆς πρώτης ὑπομνήματα τροφῆς, καὶ δείγματα μετάλλων ἁπλῶν καὶ αὐτοφυῶν, μαλάχην καὶ ἀνθέρικον. *Ego vero, o*

So-

Solon, admiror hopitem tuum ſi cum nuper Deliis magnam expiationem perfecerit, apud eos monumenta primi mortalium victus non vidit, cum in templum importarentur, ac vilium & ſponte naſcentium ſpecimina metallorum, malvam, & aſphodelum.

Frugales itaque, & qui ante ἐπιθυμητικὸν vivebant homines, malva aſphodeloque utebantur: quod poſtea (ſi credere fas eſt) ſecuti poetæ ſunt. Horatius certe *lib.* 4. *Od.* 3.

. . . . . Me paſcunt olivæ,
Me cichorea, leveſque malvæ.

Hinc mortuis hominibus in tumulo malvam, aſphodelumque ſerebant, ne deeſſet illis cibus. Huc ſpectavit Porphyrius in quodam Epigrammate ubi tumulum loquentem his verbis introducit. Νώτῳ μὲν μαλάχην τε καὶ ἀσφόδελον πολύριζον· Κόλπῳ δὲ τὸν δεῖνα ἔχω.

Foris quidem malvam aſphodelumque habeo,
Intus vero mortuum claudo.

CLAS-

CLASSIS SECUNDA
DE
HERBIS
ET
SUFFRUTICIBUS
Flore Monopetalo, Infundibuliformi, & rotato.

FLOREM INFUNDIBULIFORMEM appellavimus florem Monopetalum, qui formam infundibuli æmulatur. Hujus autem floris duæ ſpecies ſunt. Alius ore ſeu parte ſuperiori conum inverſum, alius diſcum repræſentat: uterque in tubum deſinit. Ille INFUNDIBULIFORMIS proprie, hic HYPOCRATERIFORMIS dicetur, quia Hypocrateram ſeu vas, quod apud magnificos Viros inter bibendum poculo ſupponitur, quodammodo referat.

FLOS ROTATUS Monopetalos eſt, & a ſimilitudine Rotæ nomen invenit.

SE-

SECTIO VI.

De Herbis, flore monopetalo, rotato, cujus piſtillum abit in fructum ſiccum.

GENUS VII.

Verbaſcum mas, latifolium, luteum. C.B.Pin.239. *Verbaſcum vulgare flore luteo, magno, folio maximo* I. B. 3. *Ap.* 871. *Verbaſcum latius Dod. Pempt.* 143. *Verbaſcum mas & Candela Regia Lob. Obſ.* 303. *Thapſus Barbatus Ger. & Off. Verbaſcum, aut phlomos vulgaris mas Dioſcor. Lob. Ic.* 561. ☿

Verbaſcum ſeu potius Barbaſcum dictum putant a canitie illa, qua folia verbaſci vulgaris obduci ſolent. Plinius a Verbena deducit.

Φλόμος Græcis dicitur a φλὸξ, φλογὸς flamma. Apud Suidam φλῶμος legitur. φλῶμος βοτάνη, ᾗ καὶ ἀντὶ ἐλλυχνίυ χρῶνται. Plomos herba, cujus & pro ellychniis uſus eſt.

In Græcorum Lexicis verbaſcum etiam appellatur νέκεια vel νεκυΐα. Gloſſæ medicæ non editæ: νέκεια, φλόμος. Vocabuli hujus rationem indicat Harpocration *in libro* περὶ φυσικῶν δυνάμεων. Ita enim ſcribit. νέκεια βοτάνη ἐσὶ φλόμος· ταύτης δὲ εἴδη εἰσὶν ἑπτά. λέγεται οὖν, ὅτι ἀναβαίνουσι τὰ φύλλα ὑπὲρ πῆχυν ἕνα, ἃ καίουσιν ἐν τοῖς λύχνοις ἀντὶ ἐλλυχνίου. ἐπειδὴ δὲ τοῦτο κατέχουσιν ἐν ταῖς νεκυακαῖς μαντείαις ταῖς διὰ λεκάνης γινομέναις,

μένοις, ὥσπερ οἱ παρὰ ὅσους εἶπον, καὶ διὰ τοῦτο νεκεία ἡ βοτάνη καλεῖται. Neophytus quoque lucernale verbaſcum νεκύϊαν dici memorat: φλόμος ἔτερος, οἱ δὲ λυχνῖτιδα, οἱ δὲ θρυαλλίδα, οἱ δὲ νεκύϊαν, οἱ δὲ Ἑρμοῦ ῥάβδον· Idemque docet Romanis φουλουσκλοῦν vocari, quod eſſet *fuluſculum*: quid ſit ſe ignorare fatetur Salmaſcius *in libr. de Homoym. Hyles Jatricæ;* qui eodem loco contendit νεκύϊαν a Græcis dici non a lecanomantiis mortualibus, ſed quod funeribus ſerviret, ut & ſcirpi, e quibus detracto cortice candelæ luminibus ac funeribus, Plinio teſte, ſervientes fiebant. Lecti mortuorum ut ſcirpis & papyris, ita etiam verbaſco lucernali farciebantur, quo citius ignem conciperent, ac comburi facilius poſſent. Inde igitur νεκύϊα appellata.

Officinis *Thapſum barbaſtum* vocatur: ſed in libris medicis ante ducentos, aut trecentos annos ſcriptis *thapſum barbaſtum* dicitur, quod ſine dubio corruptum eſt ex *verbaſcum*. Gloſſa vetus ad verſionem antiquam Alexandri Jatroſophiſtæ (ut notat Salmaſius) id genus phlomi, quod ſtipitem habet magnum, & florem croceum, *thapſi barbaſti* nomine appellari vulgo annotat. Hoc eſt verbaſcum agreſte Dioſcoridis *lib.* 4. *c.* 104. Γίνεται καὶ ἡ λεγομένη ἀγρία (φλόμος) ῥάβδους ὑψηλὰς φέρουσα καὶ δενδρώδεις, φύλλα ἐλελισφάκῳ ὅμοια· ἔχει δὲ κλῶνας περὶ τὰς ῥάβδους ὥσπερ πράσιον, ἄνθος μήλινον, χρυσοειδές. Facile non eſt conjicere, cur *thapſi* nomen illi impoſitum. Veriſimile eſt, *thapſum verbaſcum* id genus nominaſſe poſteriores Latinos, vel a colore luteo infi-

ciendis capillis: ἡ δὲ χρυσοειδὴς τὰ ἄνθη, τρίχας βάπτει, ait Dioſcorides. Galenus, φλόμος ἀγρία χρυσοειδής ἐστι καὶ μηλίζουσα τοῖς ἄνθεσι· & paulo poſt. καὶ τῆς χρυσιζούσης τοῖς ἄνθεσιν, ἣ καὶ τὰς τρίχας βάπτουσι: vel a flore thapſino & aureo, ad aliorum verbaſci generum diſtinctionem (Neophytus χρυσομήλινον vocat hujus florem) quod poſtea corrupte pronunciatum eſt *thapſum barbaſtum* ac poſtremo *barbatum*.

Dubium non leve occurrit, an idem ſit hoc genus verbaſci, quod φλόμον στεφανωματικὸν Græci vocarunt, cujus meminit Dioſcorides in deſcriptione chryſogoni. χρυσόγονον φύλλα ἔχει ὅμοια δρυΐ· ὁ δὲ θάμνος ἐστὶ πυκνός· ἄνθος δὲ παραπλήσιον τῷ στεφανωματικῷ φλόμῳ· *chryſogonum denſe fruticat foliis quernis, flore verbaſci coronarii*. Certe chryſogonum illud inter duas herbas locavit, quæ florem habent luteum, inter chryſocomen nimirum, & elichryſum. Veriſimile itaque eſt etiam chryſogonum Dioſcoridis habuiſſe flores luteos, quales verbaſci genus aliquod. At verbaſcum hoc flores & ipſum luteos habet: poteſt ergo probabiliter argui, eſſe idem verbaſci genus. Mirum tamen, nullam a Dioſcoride mentionem fieri phlomi coronarii ibi loci, ubi ex inſtituto genera ejus & differentias exequitur.

CHARACTER GENERICUS

Verbaſcum eſt plantæ genus flore monopetalo rotato, & multifido; ex cujus calyce ſurgit piſtillum mediæ floris parti adinſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ſive teſtam ovato-acuminatam, ſepto intermedio in duo loculamenta di-

vi-

viſam, & ſeminibus fœtam ut plurimum exiguis, & angulatis, placentæ affixis.

RADIX alba, lignoſa, ſimplex fibras aliquot grandiores e lateribus emittit, minor quam pro plantæ modo, craſſitie pollicari. FOLIA ad radicem multa, dodrantem longa, quatuor pollices lata, molli & incana lanugine utrinque hirſuta, per margines leviter crenata. CAULIS plerunque unicus, bicubitalis aut tricubitalis, teres, hirſutus, rigidus, medulla farctus, foliis nullo ordine poſitis, crebris, immediate adnatis, iiſque ad radicem ſimilibus veſtitus, longis appendicibus hinc inde productis caulem velut alatum efficientibus. In ſummo caule FLORES in longo thyrſo conferti clavæ figuram referunt. Flores autem ſingulares non maximi ſunt, monopetali, in quinque tamen lacinias obtuſas totidem folia imitantes diviſi cum quinque intus ſtaminibus villoſis, flavis, apicibus rubentibus, & ſtylo in medio virente. PEDICULI florum breviſſimi ſunt. CALYCES hirſuti, in quinque ſegmenta acuta diviſi. VASCULUM SEMINALE non ſphœricum, ſed oblongius acuminatum, raſili lanugine hirſutum, quod per maturitatem in binas carinas dehiſcit, SEMINIBUS parvis repletum. DESCRIPTIO JOANNIS RAII.

Invenitur ad agrorum margines, & in aggeribus foſſarum, nonnunquam in muris, & ruderibus. LOCUS

Tragus, & Dodonæus florem hujus herbæ pentapetalon crediderunt, ſed revera monopetalos eſt. OBSERVATIO CRITICA.

Sal plantæ hujus, ut Tournufortius obſervat, VIRES

K 2 ha-

habet adjunctam magnam ſulphuris , & terræ copiam: ideo planta eſt valde edulcorans , & vulneraria: decoctum ex ea datur colicis, & dyſentericis. Mathiolus gutture laborantes adjuvabat gargarizatu decoctionis ex foliis , & floribus ejus : etiam contra tuſſim vehementem proponebat. Flores ſunt item pectori utiles, aptique ad leniendum ſanguinem acrem: & hæmorrhagiæ tum internæ , tum externæ proſunt: aqua ex iis eſpreſſa , Trago referente, eſt adverſus cutis morbos opportuniſſima. Autore Grembs, thapſum barbatum ſpecificum eſt contra tympanitem.

CLASSIS TERTIA
DE
HERBIS
ET
SUFFRUTICIBUS
Flore Monopetalo, anomalo.

FLORES monopetalos anomalos appellamus nonnullos flores multiformes monopetalos, qui ſingulari nomine comprehendi nequeunt, quales ſunt flores Ariſtolochiæ, Digitalis, Scrophulariæ. Ex iis tamen alii Perſonati dici poſſunt, quod confictam faciem ſeu perſonam, roſtrumque animalium rictu & labiis non male referant: Perſonati autem a Labiatis differunt capſula ſeminum, quæ a calyce omnino diverſa eſt, cum Labiatorum capſula prius fuerit calyx florum.

SECTIO III.

De Herbis flore Monopetalo, anomalo, utrinque patente.

GENUS III.

Scrophularia aquatica major C. B. Pin. 235. *Scrophularia maxima radice fibroſa I. B. 3. 421. Betonica aquatilis . Dod. Pempt.* 59. *Ocymaſtrum majus Trag.* 185. *Clymenum fœmina Geſn.* ☸

SCrophularia a ſcrophulis , quas ſanare exiſtimatur , nomen invenit .

CHARACTER GENERICUS Scrophularia eſt plantæ genus flore monopetalo, anomalo, utrinque patente, plerunque globoſo, in duo veluti labia diſſecto , quorum ſuperiori ſubſunt duo foliola: ex calyce autem ſurgit piſtillum poſticæ floris parti adinſtar clavi infixum, quod deinde abit in teſtam e rotundo acuminatam, bifariam dehiſcentem, ſepto intermedio in duo loculamenta diviſam, ſeminibuſque fœtam ut plurimum exiguis, placentæ infixis .

DESCRIPTIO JOANNIS RAJI. RADIX craſſa, fibris numeroſis majuſculis, longis, albis eſt. CAULES bicubitales ſunt, quadrati, craſſitudine minimi digiti, quam Scrophulariæ majores, glabri, inanes, ramoſi. FOLIA per intervalla longiora, ex adverſo bina, pediculis ſeſcuncialibus inſident, duobus plurimum lobis ad pediculum donata, tres aut quatuor digitos longa , duos lata , circa margines crenata, mucrone obtuſiore quam Scrophulariæ vulgaris, & Betonicæ foliorum figura ſua æmula, verum duplo triplove majora. FLORES in ſummitatibus

cau-

caulis & ramorum, in eodem communi pediculo, in ſurculo plures, ex alis quidem foliorum quorundam ſed perexiguorum, anguſtorum, acutorum, non crenatorum, & omnino diſſimilium reliquis egrediuntur parvi, monopetali, turgiduli, obſcure purpurei, duobus in ſumma parte extantibus latis, & obtuſis ſegmentis velut auriculis; APICULIS flavis in ipſa floris apertura ſe oſtendentibus; quibus ſuccedunt VASCULA SEMINALIA ſubrotunda, acuminata, e duobus loculamentis compoſita; SEMINA intus continentia parva, fuſca.

Locus natalis ad ripas fluviorum, in ipſis aquis. LOCUS

Figuram plantæ hujus non ſuo loco poſitam exhibet Hiſtoria J. Bauh. OBSERVATIONES CRITICÆ.

Illa, qua Dodonæus & Lobelius uſi ſunt, multo eſt melior figura Tabernamontani.

Caſpar Bauhinus in ſuo Pinace putavit *Scrophulariam majorem Ceſalpini* 349. eſſe eandem ac *Scrophulariam nodoſam fœtidam*: ſed referenda eſt ad *Scrophulariam aquaticam majorem Pin.* Cæſalpinus enim advertit eſſe duo alia folia exigua ad baſim foliorum ſpeciei illius, quam deſcribit, quod in *Scrophularia aquatica* minime cernitur: *foliis*, inquit ille, *longioribus ſerratis*, *quibus binæ appendices juxta pediculum*.

Fœtida eſt, aliquantum amara, vi predita detergendi, & vulneraria; virtutes habet eaſdem, quas *Scrophularia nodoſa fœtida*: de quibus ſermo erit cum illam deſcribemus. Hic tantum adnotabimus, quod peculiare ineſt in hac ſpecie Scrophulariæ. Nam Sennæ guſtum, & odorem pravum ita emendat, ut nihil ejus imminuat vim purgandi. Notitiam hanc debemus præ- VIRES

ſtanti

ſtanti Marchant: qui inter memoranda Regiæ Academiæ Scientiarum narrat, miſſam ſibi fuiſſe ex Luſitania a Chirurgo quodam Gallo plantam quandam Braſilienſem, appellatam Yquetayam. Ut autem medicamenta omnia, præſertim advecta peregre, extolli magnifice ſolent, ita Chirurgus ille affirmabat, plantam illam ſpecificum certum eſſe contra pleuritidem, excellere adverſus apoplexiam, & ſanare febres omnes intermittentes. Poſt laudes medicaminis ſui Chirurgus addebat peculiare quid non magni quidem momenti, credibilius tamen quam cetera; ideſt, folia plantæ hujus adhibita in Sennæ infuſione prorſus tollere tetrum ſaporem & odorem ejus, nihil debilitata ejus virtute purgandi, nullaque in illam noxia qualitate derivata. Nullus erat ſuſpicandi locus Chirurgum illum auſum tribuere virtutem hanc remedio ſuo, niſi expertus ante eſſet. Marchant reperit Chirurgum dicere vera: quare permotus cupiditate noſcendi Yquetayam ſeminavit grana ejus aliquot, quæ erant inter folia arida & fracta, ſibi a Chirurgo miſſa. Natam facile plantam cognovit eſſe *Scrophulariam aquaticam majorem*, idque eo magis perſuaſum habuit, poſtquam animadvertit, noſtram etiam *Scrophulariam aquaticam* malum Sennæ odorem, guſtumque corrigere. Conſtans Marchant opinio eſt, nos Plantarum noſtratium minus, quam oportet ſtudioſos eſſe: ceterum peregrinas exæquari ſæpe virtute, & noſtras ideo contemni a nobis, quod in ſolo noſtro natæ ſint.

ANALYSIS CHYMICA. In Analyſi chymica Planta hæc poſt emiſſum ſtatim phlegma cum viridis eſt, præbet multum ſalis volatilis concreti, inde multum olei.

CLAS-

CLASSIS QUARTA
DE
HERBIS
ET
SUFFRUTICIBUS

Flore Monopetalo, Labiato.

FLOS LABIATUS dicitur flos Monopetalos, qui inferne tenuatur in fiſtulam, ſuperne vero in labium ampliatur vel unicum vel geminum. Huic proprium eſt 1. ut calycem habeat unifolium, plerunque tubulatum vel cucullum papyraceum referentem. 2. ut piſtillum ejus, cui quatuor embryones adhæreſcunt, abeat in fructum ex quatuor ſeminibus conſtantem, in ipſo calyce tanquam in capſula propria matureſcentibus, qua nota diſtinguitur a flore Perſonato, cujus piſtillum abit in capſulam a calyce longe diverſam. Differt præterea flos Labiatus a flore rotato vel infundibuliformi cui ſuccedunt quatuor ſemina (quales ſunt flores Echii, Bugloſſi, Symphyti) quod floris Labiati labia rictum habeant, hoc eſt, faciem larvæ ſeu ludicræ cujuſdam perſonæ, vel roſtri animalium æmulam.

SECTIO III.

De Herbis flore Monopetalo, cujus labium ſuperius erectum eſt.

GENUS XIV.

Verbena communis cæruleo flore C. B. Pin. 269. *Verbena vulgaris* I. B. 3. 443. *Verbenaca recta Dod. Pempt.* 150. *Herba Sacra Ang. Hierobotane mas Brunſ. Columbaris Hermol. Herba Cephalgica Hofn. Alt.* ☼

VErbena dicitur, autore Plinio *lib.* 25. *c.* 9. quod ad Jovis menſam verrendam præparandamve ad ſacrificium adhiberetur, ex Græco ἱερὰ ϐοτάνη, quæ Æolibus ϐιραϐετάνη, inde Verbena.

Verbenæ tamen apud Romanos, ut cum Servio teſtantur omnes Critici & Grammatici, non herbæ privatum genus dicebantur, ſed rami, virgæ, frondes omnium ſacrarum arborum, quin etiam herbæ ex puro loco decerptæ, quibus feſtis diebus aræ coronabantur. Terentius *in Andria*.

Ex ara hac ſume verbenas tibi.

Menander μυρσίνης κλάδους dixerat. Gloſſæ, verbenæ θαλλία. Ex eo *Verbenaca* herba ſic proprie appellata, Græcis περιστερεών, & ἱερὰ βοτάνη. Scribonius Largus: ἱερὰ βοτάνη, *quam nos verbenacam dicimus* (male eſt in editis *vettonicam*) Α'ειστερῶνα dictam eſſe

eſſe verbenacam ; ex Pauſania monet Euſtath. Od. X. ſic & in Mss. Codd. apud Plinium XXV. 10. XXVII. 4. *ariſtereon* (in Edit. eſt *periſtereon* , & *periſtereos* , ut primo loco legitur in Edit. Venet. 1496.) haberi teſtatur Commentator Plinii Harduinus *pag.* 504. & 505. Apul. c. 3. *periſtereona* (h. e. columbinam) *hyption* etiam *ariſtereon* vocat : & cap. 65. *Græci*, inquit, *periſtereon orthion*, *alii trygonion* (quod ſit turturibus pabulo, τρυγὼν *turtur*) *alii hieram botanen*: *Itali* (i. e. Latini) *criſtam gallinaceam* , *alii columbinam*, *alii ferrariam vocarunt* . *Sunt autem eæ* (Supina, & Recta) *columbis eſca admodum jucunda*, *& familiaris* , *unde & hoc nomen* (περιϛερὰ Græcis *columba*) *habent & columbinæ* (περιϛεραὶ) *dicuntur*. *Periſtereos*, inquit Plinius, *columbis admodum familiaris*, unde & nomen.

CHARACTER GENERICUS

Uerbena eſt plantæ genus flore monopetalo labiato, cujus labium ſuperius erectum , & plerunque bifidum eſt, inferius vero tripartitum : ſic tamen ſecantur ambo , ut flos quinquepartitus primo aſpectu videatur. Ex calyce autem ſurgit piſtillum poſticæ floris parti adinſtar clavi infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum , qui deinde abeunt in totidem ſemina tenuja & oblonga , totam pene capſulam , quæ calyx floris fuit , occupantia . His notis addendum eſt : flores verbenæ ſpicatim ut plurimum naſci , non tamen verticillatim, & quandoque in capitulum diſponi.

DESCRIPTIO J. BAUHINI

E RADICE minimo digito tenujore , fibroſa , & ſubamara plures emergunt CAULES cubitales &

altiores, quadrati, ſolidi, brevi lanugine ſubhirſuti, & ſubinde purpuraſcentes, ramoſi. FOLIA in caulibus per intervalla ex adverſo bina, brevi itidem & vix conſpicua lanugine utrinque hirſuta, rugoſa, profunde laciniata, diviſura quodammodo foliorum Quercus, infimis duabus inciſuris profundioribus, colore ſaturatiore ſuperius quam inferius vireſcentia. Ex alis foliorum, & in ſummitate caulis FLORES in longas ſpicas digeſti, dilute cærulei (ex pallido purpuraſcentes J. B.) exigui, quinquepartiti, ut in verticillatis e calyce in ala folioli perexigui ſeſſili exeunt. Singulis autem floſculis ſuccedunt in calyce quatuor SEMINA longiuſcula, ſimul juncta, ut in verticillatis, quibus omnino accenſenda eſt hæc planta. Duo ſuperiora floſculi cujuſque ſegmenta galeæ vicem obtinent.

LOCUS Naſcitur in areis, & compitis. Æſtate floret.

ANALYSIS CHYMICA. Analyſis Chymica elicit ex Verbena liquores multos acidos, copiam olei, ſeu ſalis volatilis concreti, ac terræ.

VIRES Vulneraria eſt, detergens, aperiens, febrifuga: contra pallorem remedium eſt vinum ſumptum, in quo per noctem integram fuerit infuſa verbena. Cæſalpinus commendat pulverem adverſus hydropiſim. Extractum, aut ſuccus verbenæ ſanat febres intermittentes: folia ejus dantur eodem modo, quo folia Thèe, illis qui vaporibus vexari ſolent: aqua deſtillata, ſive ſuccus depuratus abſtergunt oculos; viſum perpurgant; gutturi proſunt optime gargariſmo: cataplaſma ex verbenæ foliis attritis, fari-

na

na ſiliginea, & ovorum albumine habet facultatem reſolvendi. Succus & oleum, in quo ſummitates hujus plantæ fuerint infuſæ, medentur vulneribus. Cum vires tot & tantæ ſint ejus, nihil mirum ſic olim in honore habitam, ut Herbam Sacram nominarent.

Libet afferre Poetam antiquum de *Viribus Plantarum Deo alicui conſecratarum*: quem iiſdem, quibus Nicandrum, typis Græce pridem ſine nomine Aldus edidit, ac Dioſcoridi ſubjecit. 1518. Ignotus eſt Autor: at quicumque ſit, certe ſe prodit valde vetuſtum & apprime elegantem; ut Fabricius putarit Fragmenta Poetæ hujus inſerenda Bibliothecæ Græcæ ſuæ *lib.* 3. Nam, ut ipſe notat, ita virorum etiam præſtantiſſimorum fugit induſtriam, ut pro inedito haberent; laudarentque Lucas Holſtenius *Notis ad Stephanum Byzant. p.* 270. Iſacus Voſſius *ad Barnabæ Epiſtolam p.* 23. & Thomas Bartholinus *de Medicis Poetis p.* 103. In Codice Ms. quem memorat Labbeus *p.* 125. *Bibliothecæ Ms.* ſubnectitur Joannis Damaſceni cujuſdam medici libro *de Pharmacis ad purgandum idoneis*. Ut autem ad Herbam quamque verſibus Poetæ hujuſce commemoratam ventum fuerit, verſus eoſdem adjiciam. De viribus Verbenæ hæc. ERUDITIO

ΠΕΡΙΣΤΕΡΕΩ'Ν : Aldus edidit περιστεραί·

Πρὸς τὰ Κυθηρείδος ἔργα θεᾶς κυδρῆς Ἀφροδίτης,
Τρυγόνιον τόδε πάντες ἐπιχθόνιοι καλέουσιν.
Ἄλλοι δ' ἄῤῥενα, οἱ δὲ περιστερεῶνα τὸν ὀρθόν.

Ὕπτιον

Ὕπτιον δ' αὖ ἕτεροι χθαμαλὴν ἐπὶ γαῖαν φιλεργόν·
Δοιοὶ γὰρ πεφύασιν ὁμοιότατοι πετάλοισιν.
Ὀρθὸς μὲν τείνει εὐρεῖαν φύσιν εἰς Ἀφροδίτην,
Ὕπτιος εὐνάζει. Δύναμις δ' αὐτοῖσι μεγίστη.
Εὖ δ' ὁπόταν ἐθέλῃς πόνον ὀφθαλμῶν ἀκέσασθαι,
Ἁμματίσας περὶ σῶμα περιστερεῶνα τὸν ὀρθόν,
Ἡελίου κόσμον τὸν ἀπέρμονα κυκλώσαντος,
Παύσεις ὀφθαλμοῖο δυσαυγέας ἀμβλιωπῆρας,
Ἐκ κεφαλῆς πόνος ἐν ταύτῃ παραχρῆμα μειοῦται,
Καὶ κόπον ἐξελάσει πάντῃ τριφθεῖσα μετ' ὄξους.
Χοιράδας, ἀντιάδας τε πάσας παύει παραχρῆμα.
Ἔαθ' ὅδε τοι γαῦρος χαείτων * * *
Τεύχειν δ' εἰς φιλίαν δυνάμεις * * *
* * κοίζει δ' ὁπόταν τις ἀνὴρ * *
Τῆς βοτάνης, κάμνοντος ἐναντίον ἵσατο μοῦνος,
Κ' εὐθὺς ἀπαλλάξεις τὸν δαίμονα μηκέτ' ἐπελθεῖν.

Schol. Ὁ περιστερεὼν ὁ μὲν . . . . , .

ὕπτιος ξηραντικός ἐστι, ὠφελεῖ δὲ ὁ ὀρθὸς περιαφθεὶς πρὸς πόνους ὀφθαλμῶν· Ποιεῖ πρὸς ἀμβλυωπίαν καὶ κεφαλῆς πόνον καὶ κάματον· Παύει τριφθεῖσα μετ' ὄξους χοιράδας, ἀντιάδας παραχρῆμα παύει. Ὅτε δέ τις φρικιᾷ, ἀπὸ ταύτης κλωνία λαβὼν, κατέναντι στῆθι τοῦ φρικιῶντος μόνος, καὶ εὐθὺς θεραπεύεται.

Verbena ſupina, & recta.

Ad res almæ deæ Cythereæ Veneris (facit)
Trygonium, ſic omnes terreſtres vocant.
Alii marem nuncupant, quam alii verbenam rectam;
Supinam vero, quam alii humilem, ſuper terram operis amantem.

Duo hæc genera foliis naſcuntur ſimillima.
Recta quidem ſolvit potenter corpora in venerem,

Su-

Supina ſopit: virtus utrique maxima ineſt.
Si tibi animus eſt oculorum morbis bene mederi,
Ad corpus annectens verbenacam rectam,
Sole mundum infinitum cingente,
Efficies ut acies oculorum non ſit amplius hebes, & tenebroſa.
Capitis dolor hujus virtute ſtatim minuitur.
Abigit omnem laſſitudinem herba hæc aceto trita.
Strumas, omnes tonſillarum affectus ſubito tollit.
*Si ambis gratiam * * **
Ac vis captare amicitiam, hæc vires præſtat.
Quando quis febre laborat, herbæ hujus ſume
Ramulos, ac ex adverſo ægroti ſta ſolus,
Statimque avertes dirum illud malum, ne ultra veniat.

Antiquitus mos erat, quiſquis quacumque occaſione ſacrificaret, verbena coronari. Virgilius. *Æneid. lib.* 12. ubi de Fecialibus ſermo eſt.

. . . . . alii fontemque, ignemque ferebant
Velati lino, & verbena tempora cincti.

Coronæ huic haudquaquam abſimilis fuit illa, qua prisco more capita legatorum coronari mos fuit. Ea corona fiebat ex Verbenaca. Plinius ſic de hac re *lib.* 22. *cap.* 2. *ſiquidem auctores imperii Romani conditoreſque immenſum quiddam & hinc ſumpſere, quoniam non aliunde ſagmina in remediis publicis fuere, & in ſacris legationibus Verbenæ. Certe utroque nomine idem ſignificatur, hoc eſt, gramen ex arce cum ſua terra evulſum; ac ſemper e legatis, cum ad hoſtes clarigatum mitterentur, ideſt, res raptas clare repetitum,*

unus

unus utique Verbenarius vocabatur . Alexander ab Alexandro *Genial. Dier. lib.* 5. *cap.* 3. ubi de Romanorum more fœdera percutiendi eſt illi ſermo, ait S. C. fieri conſueviſſe in verba hæc: *ut privas verbenas, privoſque lapides Prætorem poſcerent, qui verbenam ex arce, & ſagmina, ac lapidem filicem ex templo Jovis Feretrii daret, Fecialeſque ea ſecum ferrent*. Similiter Patrem Patratum, *verbena caput capillosque tangendo*, faciebat Fecialis.

Verbenam locum apud veteres habuiſſe etiam in coronis nuptialibus aliqui tradunt: nova enim nupta verbenis a ſe lectis coronam componebat, eamque ſub amiculo ferebat.

Nec ſilentio prætereundum, in Serapidis templo *Verbenas* quoque, *Coronas*, & *Panificia* memorari Svetonio *in Veſpaſiano cap.* 7. ubi cum is in Ægypto eſſet, ac de firmitate Imperii capturus auſpicium, ædem Serapidis ſolus intraſſet, propitiatoque Deo, tandem ſe convertiſſet, hæc tria, *Verbenas*, *Coronas*, *Panificia* a Baſilide oblata fuiſſe pro more, refert.

CLASSIS QUINTA

DE HERBIS ET SUFFRUTICIBUS

Flore Polypetalo, Cruciformi.

FLOS CRUCIFORMIS dicitur ille qui ſemper componitur ex quatuor petalis, & crucem quodammodo repræſentat, qualis eſt flos Leucoii, Erucæ, Braſſicæ. Hujus autem floris calyx, ſi adſit, quatuor plerunque foliis donatur, eodem ut plurimum ordine poſitis ac petala ſunt: Piſtillum vero ſemper abit in fructum.

SECTIO II.

De Herbis flore cruciformi cujus piſtillum abit in fructum ſatis brevem, bifariam diviſum ſepto intermedio, reſpectu valvarum, ad perpendiculum oblique poſito.

GENUS VI.

Burſa paſtoris major, folio ſinuato. C. B. Pin. 108. *Burſa paſtoria J. B. 2. 936. Paſtoria burſa Dod. Pempt.* 103. *Burſa paſtoris major capſula cordata, foliis laciniatis Moris. Oxon. Thlaſpi fatuum, Burſa paſtoris dictum Raji Hiſt.* 838. ☿

IN veterum vel Græcorum vel Latinorum monumentis, Burſæ paſtoris vocabulum aut huic analogon haud quidem occurrit: vero tamen ſimile, non male ſentire eos qui ſtatuunt, veteres ſub Thlaſpi nomine paſtoriam Burſam fuiſſe complexos.

CHARACTER GENERICUS

Burſa paſtoris eſt plantæ genus flore cruciformi, quatuor ſcilicet petalis conſtante: ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum planum, ora ſuprema ſciſſum, triangulum iſoſceles inverſum quaſi referentem, ſepto intermedio, cui valvæ utrinque adhæreſcunt, in duo loculamenta diviſum, ſeminibuſque fœtum exiguis.

DESCRIPTIO JOANNIS RAJI.

Nonnunquam palmaris, pedalis interdum, & cu-

cubitalis (aut etiam ſeſquicubitalis) eſt planta. RADICE nititur exili, recta, alba, fibroſa, ſapore ſubdulci, & nauſeam laceſſente, e qua prodeunt FOLIA oblonga, modo integra, plerunque tamen profunde utrinque laciniata, laciniis in acutas cuſpides deſinentibus, Dentis leonis fere in modum, nonnihil hirſuta, pediculis uncialibus (potius ex anguſto principio ſenſim dilatata) cum ſuperiora, quæ in caulibus ſunt lata baſi, abſque pediculis iis adnaſcantur, lacinia ceu auricula utrinque producta eos velut amplectentia, nec omnino laciniata ſint. E foliorum medio CAULIS unus, duo, tres, quatuorve aut plures exſurgunt, in ramulos alternatim poſitos diviſi, medius ab imo ſtatim. Summi caules, & ramuli in longas veluti ſpicas excurrunt floſculorum pediculis tenuibus ſemuncialibus inſidentium. Sunt autem FLOSCULI parvi, albi, quatuor petalis ſubrotundis minime bifidis compoſiti, cum STAMINULIS aliquot apices luteos geſtantibus. Floſculis delapſis pediculi in uncialem longitudinem excreſcunt, & ſeminum receptacula ſuſtinent, ex acuto principio in latiuſculam bifidam crumenulam deſinentia, a caule extantes, & rectos cum eo angulos efficientes aut etiam deorſum non nihil reflexi. SEMINA in ſingulis vaſculis continentur multa minutiſſima, per maturitatem fulva, aut ſubruſa.

Secus vias locis deſertis, & incultis, inque areis, compitis, ac ruderibus paſſim provenit, totaque æſtate floret, viget, ac ſemen perficit. LOCUS

OBSERVATIO. Hæc planta foliis mire ludit (verba ſunt Caſp. Bauhini) unde illam, quæ folio eſt integro & non ſinuato, pro diverſa ſpecie non habemus: atque idcirco cum J. Bauhino ad idem caput reducimus Burſam paſtoris folio ſinuato primam, ſecundam, & tertiam ſpecies.

CHYMICA ANALYSIS Ex hac planta Chymici trahunt non multum acidi; & quidquid trahitur fere alkalinum eſt. Paucæ plantæ ſunt, unde exprimatur tanta copia ſalis volatilis concreti, tanta ſalis fixi lixivialis ac terræ.

VIRES Principia hæc ſimul conjuncta faciunt *Burſam paſtoris* idoneam ad ſolvendum ſanguinem retardatum ab acidis extraneis, impeditumque ne celeritate ſolita ſua ex arteriis tranſeat in venas, unde pleræque fluxiones. Ceterum terra plantæ hujus, ut Scriptores omnes affirmant, vulneribus eſt opportuna, adſtringens eſt, febres pellit, & edulcorat. Succus foliorum ſi bibatur a quatuor ad ſex uſque uncias, valde ſarcit ſanguinis quaſcunque jacturas; etiam multum adjuvat in fluxionibus, quas comitantur phlogoſes. Aqua deſtillata ejus eſt virtutis nullius; nihilque eſt aliud quam phlegma ab aliis principiis ſeparatum.

CLAS-

CLASSIS SEXTA DE HERBIS ET SUFFRUTICIBUS *Flore Roſaceo.*

FLOS ROSACEUS dicitur ille, qui ex plurimis petalis componitur in orbem poſitis, quo plane modo petala florum Roſæ diſponuntur, ut videre eſt in Ranunculo, Pæonia, Quinquefolio. In hoc autem flore petalorum diſpoſitio, non vero numerus requiritur. Illa conſtans ſemper, hic incertus, ut in Pulſatilla, Sedo, Caryophillata: raro binus aut quaternus, niſi in Circæa, & Onagra; ſæpe quinus. Si quaternus occurrat, tunc flos roſaceus a cruciformi differt, quod flos cruciformis ex quatuor ſemper, roſaceus vero modo ex quatuor, modo ex quinque, aut ſex petalis componatur, ut in Clematite, Ruta, Cappari, aliiſque obſervare eſt: idcirco genera illa ad claſſem florum roſaceorum amandari poſſe mihi viſum eſt.

SE-

SECTIO II.

De Herbis flore roſaceo, cujus piſtillum aut calyx abeunt in fructum unicapſularem.

GENUS I.

Papaver erraticum, majus ῥοιὰς Dioſcoridi, Theophraſto, Plinio. C.B. Pin. 171. *Papaver erraticum rubrum, Campeſtre I.B.* 3. 395. *Papaver erraticum Dod. Pempt.* 447. *Rhœas, ſive caduco flore puniceo Adv. Lob. Ic.* 275. ☿

PApaver dictum cenſet Voſſius a *Pappo*, quomodo *cadaver* a *cado*. Nomen ex eo fuerit, quod inderetur *Pappæ* ad conciliandum ſomnum, unde verbum *pappo* apud Perſium.

- - - - *pappare minutum poſcis* . . . .

Græcis μήκων, & μηκὼν dicitur (utroque enim modo ſcriptum reperimus) παρὰ τὸ μὴ κονεῖν, ὅ ἐστι μὴ ἐνεργεῖν, ut habet Nicandri Scholiaſtes, *a non operando*, quod vincti papaveris ſopore ſenſus, membraque ſtupefacta nequeant quicquam agere. Vel nomen inditum eadem ratione, qua cicutæ κώνειον a vertigine & caligine, quod utrumque invehit. Excæcari enim dicebat Andreas ὁ ἰατρὸς viſum ſucco hujus apud Plinium *lib.* 20. *cap.* 18. Alii μήκωνα appellatum contendunt παρὰ τὸ μῆκος a *proceritate* ſive lon-

longitudine . Nonnullis placet nomen quod ab ſe impoſitum dederit μήκων inſula , ubi primum papaveris fructum Ceres invenit . Inſulæ hujus nec Strabo , nec Plinius meminerunt . Certum eſt antiquitatem papaver Cereri dicaſſe ; quam ob cauſam, mox videbimus .

Hæc ſpecies antiquis dicebatur μήκων ῥοάς. vel ῥοιάς, quod folium ejus cito decidat . Dioſcorides *lib.* 4. cap. 64. μήκων ῥοιάς, ὠνόμασται δὲ διὰ τὸ ταχέως τὸ ἄνθος ἀποβάλλειν · *Papaver erraticum quod a flore protinus deciduo rhœadis nomen a Græcis accepit*. Quid ſi dicamus (inquit J. Bodæus a Stapel) antiquiſſimos Græcos nomen huic impoſuiſſe a puniceo rubente flore ? ῥοιά Græcis punicum malum eſt , a quo color puniceus . Id licet nullius autoritate nitatur, non tamen præter rationem videtur . Nullum aliud papaveris genus intenſiori rubro colore ac puniceo videre licet : ſi enim a facili lapſu nomen hoc attributum , omnibus aliis papaverum generibus commune eſſe debet, quibus æque cito ac facile decidunt flores. Hujus papaveris duobus locis mentionem facit Plinius . *Lib.* 19. *cap.* 8. *tertium* genus *rhœan (vel rhyan) vocant Græci , id noſtri erraticum*; & *lib.* 20. *cap.* 19. *inter ſativa & ſylveſtria medium genus*, *quoniam in arvis ſua ſponte naſceretur , rhœan vocavimus* & *erraticum*. Subjungit Salmaſius, *utrobique dicere debuit rhœada*, *vel rhœadem*. Rhœada ſane rectius diceret: ſed Plinius Latino ritu ac ſono efferre malvit , quod & alias ei familiare eſt. Sic Q. Serenus *cap.* 3, 38. de *iſchia*

in-

inſcripſit, cum de *iſchiade* ars Græcorum poſtulet? Sed hæc obiter.

CHARACTER GENERICUS.

Papaver eſt plantæ genus flore roſaceo, quatuor plerunque petalis in orbem poſitis conſtante: ex cujus calyce bifolio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum, ſeu teſtam ovatam vel oblongam, capitello ornatam, ſub quo in quibuſdam ſpeciebus ſeries ſpiraculorum in circuitu aperitur in fructus cavitatem variis per longitudinem foliis munitam ſive lamellis, quibus tanquam placentis adhærent numeroſa ſemina rotunda ut plurimum, & minutiſſima.

DESCRIPTIO JOANNIS RAJI.

RADICE nititur alba ſimplici, paucis fibris donata, minimi digiti craſſitudine. CAULES ab eadem radice in ſolo lætiore plures aſſurgunt cubitales, & altiores, teretes, pilis rarioribus rigidiuſculis hirſuti (pili verſus ſummitates caulis & ramulorum non eriguntur & extant ab iiſdem, ſed appreſſi ſunt) ſolidi, ramoſi, ramulis alternatim e foliorum ſinubus ortis. FOLIA in multas lacinias hinc inde ſecta, Senecionis majoris, aut Jacobeæ vulgaris, aut Coronopi diviſura; laciniæ ſingulares in acutum terminantur, hirſuta, circum oras dentata. FLORES in faſtigiis caulium, & ramulorum (qui in longiſſimos pediculos excurrunt) ſingulorum ſinguli e conico, bivalvi, viridante, hirſutoque involucro, perquam caduco ſe explicant, perampli, quadrifolii petalis ex anguſto principio in circularem circumferentiam dilatatis, puniceo colore inſignes, qui brevi decidunt. CA-

PI-

PITULUM in medio flore plurima denſo agmine circumvallant STAMINA obſcure purpurea, cum APICIBUS concoloribus, pulviſculo flavo intus repletis. Eſt autem CAPITULUM oblongum, glabrum, cum umbilico ſeu operculo ſtellato, in tot cellulas diviſum, quot ſunt in ſtella radii, ſemine copioſiſſimo ex obſcure cæruleo purpuraſcente repletum. Caules inciſi lac amarum fundunt copioſe, odore viroſo.

Flores plantæ hujus, quorum in arte medica frequens eſt uſus, edulcorantes ſunt: adhibentur ad provocandam expuitionem in rheumate, in tuſſi arida: ſanguinis præterea detrimenta ſiſtunt: leniter ſudorem excitant. Medici aquam ex floribus papaveris deſtillatam præcipere ſolent a tribus uſque ad ſex uncias: tincturam hauriendam præbent in rheumatibus pectoris. Utimur etiam ſiccis floribus ad modum Thèe: Conſerva quoque fit ac Syrupum. VIRES

Antiquitas valde celebravit papaver. Numinibus dicatum fuit; in Coronis receptum; denique in ludis locum habuit. ERUDITIO

Cereri dicatum fuiſſe diſcimus ex Callimacho, apud quem Dea hæc, aſſumpta forma Nicippes, manu tenet coronas & papaver: in Hymno Cereris:

. . . . . γῶτο δὲ χειρὶ
Σπέμματα καὶ μάκωνα

- - - *Accepitque manu*
Coronas floreas & papaver.

N Hanc

Hanc ob cauſam Virgilio & Columellæ papaver eſt *Cereale*, hoc eſt, Cereri dilectum. Virgilius 1. *Georgικῶν*.

Nec non & lini ſegetem, & cereale papaver.

Columella vero *lib.* x.

Allia tum cepis, cereale papaver anetho
Jungite.

Solebat Ceres manu geſtare papaver. Eadem in templis picta olim fuit manu papaver habens. Multi contendunt finxiſſe veteres gratum Cereri ob ſeminum feracitatem. Alii, quos inter Dercylus, quod Ceres ſomno deſtituta ob moleſtiam filiæ Proſerpinæ raptæ a Plutone, papaveris beneficio recuperaverit. Papaver enim ſomnum conciliat, ſi adhibeatur quantitate mediocri: unde Virgilius *lib.* 4. *Æneidos*.

Spargens humida mella, ſoporiferumque papaver.

Phurnutus vero *lib. de Nat. Deorum* hanc rationem adfert. Ἀνατιθέασι δ' αὐτῇ καὶ τὰς μήκωνας, κατὰ τὸν λόγον· τό, τε γὰρ στρογγύλον καὶ περιφερὲς αὐτῶν παρίστησι τὸ σχῆμα τῆς γῆς, σφαιροειδοῦς οὔσης· ἥτε ἀνωμαλία, τὰς κοιλότητας καὶ τὰς ἐξοχὰς τῶν ὀρῶν· τὰ δ' ἐντὸς, τοῖς δενδρώδεσι καὶ ὑπονόμοις ἔοικε· σπέρματά τε ἀναρίθμητα γεννῶσιν ἡ γῆ. *Offertur Cereri etiam papaver. Ratio autem oblationis eſt talis. Papaveris rotunditas & globus, terræ formam quæ ſphærica eſt, repræſentat. Papaveris autem inæqualitas indicat terræ valles, & montium cacumina. Interiora autem papaveris ſimilia ſunt arboribus, & cavernis terræ. Per ſemina innumerabilia, terræ fœcundam generationem intellige.*

Pa-

Papaver Coronarius etiam flos eſt. Noctem eo coronatam fuiſſe apud Ovidium *lib.* 4. *Faſtorum* legimus.

Interea placidam redimita papavera frontem
Nox venit, & ſecum ſomnia nigra trahit.

Antiqui Græci ſolebant Papaveris foliis ludere hoc modo. Qui amoris periculum facere volebant, pugno folium ſuperponebant, alteraque paſſa manu illud allidentes, ex crepitu conjiciebant an amantes redamarentur: nam quo clamoſius inſonuerat, eo ſe magis amari putabant: ſin ſonus oblanguiſſet, contemptui ſe habitos arbitrabantur. Theocritus Eidyl. γ.

Ἔγνων πρᾶν ὄκά μευ μεμναμένῳ εἰ φιλέεις με;
Οὐδὲ τὸ τηλέφιλον ποτεμάξατο τὸ πλατάγημα.
Ἀλλ' αὔτως ἁπαλῷ ποτὶ τάχεϊ ἐξεμαράνθη,
Intellexi nuper cum quærerem an me amares
Telephilum alliſum non edidit ſonum,
Sed fruſtra in tenero cubito excaruit.

Scholiaſtes ait: τηλέφιλον δέ ἐστι, τὸ φύλλον τῆς μήκωνος. *Telephium folium ſignificat papaveris*. Idem folium papaveris πλαταγώνιον vocari tradit ad verſum Theocriti *Eidyl.* XI.

- - - - Ἔφερον δέ τοι ἢ κρίνα λευκά,
Ἢ μάκων' ἁπαλὰν ἐρυθρὰ πλαταγώνι ἔχοισαν·
- - - - *Adferrem verò tibi vel alba lilia*
Vel papaver tenerum, quod rubra crepitacula habet.

Scholiaſtes: τὰ τῆς μήκωνος φύλλα φησὶ καὶ τὰ τῆς ἀνεμώνης, ἀπὸ τοῦ πλάσσειν, ὅ ἐστι ψοφεῖν: τιθέντες γὰρ αὐτὰ

κατὰ τὸν ἀντίχειρα, καὶ τὸν λιχανὸν δάκτυλον, τύπτουσι τῇ ἑτέρᾳ χειρί. καὶ οὕτω σημειοῦνται εἰ ἀγαπῶνται ὑπὸ τῶν ἐρωμένων· ὥσπερ καὶ ἀπὸ τοῦ τῆς πλαταγῶνος ψόφου, εἰ ἀψόφως ἐπικρουσθείη. *Platagonium papaveris & anemones folium, a ſono quem colliſa faciunt. Iis ſiquidem periclitabantur, ecquid amaſiis ſuis forent grati, eſſetque affectus mutuus: nam pollici imponentes ea & indici, mox altera manu collidebant: quod ſi percrepuiſſent, amari ſe argumentabantur.* Idem docet Pollux *lib.* 9. περὶ τῶν ἐν συμποσίοις παιδίων; idem docet Suidas, idem Heſychius. Nicander, ſi Athenæo fides, folia papaveris θεία vocat. Ariſtophanes *in Veſpis*: ὡς ἐγὼ πολλῶν ἀκούσας, οἶδα θείων τὸν ψόφον. *Thria novi quid ſtrepant, ut ſæpius qui audiveram.*

CLASSIS SEPTIMA
DE
HERBIS
ET
SUFFRUTICIBUS
Flore polypetalo, roſaceo, umbellato.

FLOS polypetalos, roſaceus, qui plurimis petalis in orbem poſitis conſtat, UMBELLATUS dicitur, ſi ejus calyx abeat in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum, ſibi invicem adhæreſcentibus cum viridia ſunt, ſed disjunctis cum ad maturitatem pervenerint. His floribus, ex Cæſalpino, J. Bauhino, ceteriſque, proprium eſt ut ſinguli pediculo inſideant, & in capitula quædam colligantur, pediculis longioribus innixa, quæ demum ex eodem orta faſtigio, quadam veluti circinatione Corymbi vel Umbellæ (qua mulieres ſolem a vultu arcere ſolent) adinſtar diſponantur. Clariſs. Rajus, in cujus ſum opinione, circinationem hanc in umbelliferis non requirit; nec profecto neceſſaria videtur. Nota igitur propria floris umbellati ponitur in ipſo flore roſaceo, ſive circinato, ſive aliter diſpoſito, modo ejus calyx abeat in duo ſemina.

SE-

SECTIO I.

De Herbis floribus umbellatis, circinato diſpoſitis, quorum calyx abit in duo ſemina exigua, & ſtriata.

GENUS III.

Cicuta major C.B. Pin. 160. *Cicuta Dod. Pempt.* 461. *I.B.* 3. *Part.* 2. 175. *Cicutaria vulgaris Cluſ. Hiſt.* 200. *Trag.* 474. ☿

CIcuta nomen ſibi conſcivit ab internodiis cavis & fiſtuloſis: nam, ut docet Servius *in Eclog.* 2., in cannis calamiſve quod interceptum eſt inter duos nodos, Cicuta appellatur.

Græcis vero dicitur κώνειον ſive etiam κόνειον, παρὰ τὸ κωνᾷν, διὰ τὸν γινόμενον εἰλιγμὸν καὶ σκότον τοῖς πίνουσι, *a circumvertendo*, quod vertigine imaginem earum rerum quæ aſpiciuntur, quaſi circumagat ac tenebras inducat iis qui biberunt. Probat hoc etymon Galenus *lib. quod animi mores temperaturam corporis ſequantur.* Καὶ μέντοι καὶ διὰ τί μωρείαν αὐτὴν ἐργάζεται κώνειον ποθὲν, ὧ δὲ τοὔνομα ἔνθεν παρώνυμον ἀπὸ τοῦ πάθους ὃ πάσχον ὁρῶ ὑπ' αὐτοῦ τὸ σῶμα. *Quin etiam cur cicuta coneion dicta, epota ſtultitiam pariat, inde etiam ab eo affectu deducto nomine, quod ab ea corpus affici video.*

Heſychius teſtatur, Anneſoëdes dictam eſſe cicu-

cutam. Α'ννησοειδές inquit, quomodo etiam Nicandri Scholiaſtes ſcripſit, κώνειον.

Teſte Heſychio, a mortifera vi, quod eodem die occidere crederetur, Ephemerum etiam dicta fuit. Ε'φήμερον τὸ κώνειον, ϗ μύρον τὶ ϗ ζῶον ὅτω καλύμενον ὅπερ ζῇ μίαν ἡμέραν. *Ephemerum cicuta & unguentum quoddam ac animal ſic vocatum, quod uno tantum die vivat.*

Cicuta eſt plantæ genus flore roſaceo, umbellato, plurimis ſcilicet petalis conſtante, cordiformibus, inæqualibus, in orbem poſitis, & calyci inſidentibus. Is autem abit in fructum fere globoſum ex duobus ſeminibus compoſitum exiguis, hinc gibbis & ſtriatis, inde vero planis. CHARACTER GENERICUS

Myrrhidi, atque etiam Cicutariæ odoratæ tam ſimilis eſt ut legentibus plerunque damnoſa ſit parilitas, non ſatis accurate eas diſtinguentibus: non alia enim radix eſt, non alius CAULIS, tricubitalis, & inanis, lævis tamen, exuvii ſerpentini: caulis, in modum Serpentariæ maculoſus eſt: ſimili quoque eſt FOLIO, multifariam partito, glabro, odore ingrato, ſapore non ita, ſed nonnihil acri: UMBELLA florum illis ſimiliter albicat: SEMEN Aniſo par, ſtriatum, obſcure viret: tota denique planta viroſo odore, quo ab illis maxime differt, perniciem teſtatur. RADIX in horto priuſquam caulem ferat, longa pedalis, juniori Paſtinacæ latifoliæ Germanicæ ſimilis, cortice tenui flaveſcente, carne alba fungoſa, odoris gravis, ſaporis ſubdulcis. DESCRIPTIO J. BAUHINI

Co-

LOCUS Copioſe provenit locis umbroſis & pinguibus, prope foſſas aggereſque agrorum. Cum floribus Julio, ſemine prægnantem Auguſto ac ſerius videre eſt.

VIRES Nemo ignorat, uſum internum plantæ hujus eſſe mortiferum, externum eſſe ad multa opportunum: eſt reſolvens potentiſſimum. Ab ea nomen habuit Emplaſtrum Cicutæ, quod recte valet ad ſolvendos tumores jecoris, lienis, & glandularum meſenterii. Cicutæ folia contrita & calefacta applicantur lieni & partibus aliis inflatis: cocta cum lacte, ſi imponantur, levant hæmorrhoidas & arthritidem.

NOXÆ Ut attingamus Cicutæ noxas, Nicander ſatis concinne ſymptomata explicat inde evenientia.

Καί τε συ κωνείου βλαβόεν τεκμαίρεο πῶμα·
Κεῖνο ποτὸν δὴ γάρ τε καρήατι φοινὸν ἰάπτει,
Νύκτα φέρον σκοτόεσσαν· ἐδίνησεν δὲ καὶ ὄσσε.
Ἴχνεσι δε σφολεροί τε καὶ ἐμπάζοντες ἀγυιαῖς,
Χερσὶν ἐφερπύζουσι· κακὸς δὲ ὑπὸ νείατα πνιγμὸς
Ἴσθμια καὶ φάρυγος στεινὴν ἐμφράσσεται οἶμον,
Ἄκρα δέ τοι ψύχει.

Tu quoque ſigna malæ jam contemplere cicutæ.
Hæc primum tentat caput, & caligine denſa
Involvit mentes, oculi vertuntur in orbem;
Genua labant: quod ſi cupit ocyus ire, caducum
Suſtentant palmæ corpus: fauceſque premuntur
Obſeſſæ, & colli tenuis præcluditur iſthmus.
Externi frigent artus.

Hoc confirmat Scribonius Largus *Compoſit.* 179.

Ci-

Cicutam ergo potam caligo, mentiſque alienatio, & artuum gelatio inſequitur: ultimoque præfocantur qui eam ſumpſerunt, nihilque ſentiunt. Si fides veteribus, adverſus Cicutam remedium vinum eſt. Tradunt hoc obſervabile; nam ſi poſt Cicutam bibatur vini pauxillum, illa celerius vitalia penetrat, & interimit; ſi vero largius bibatur vinum, Cicutæ venenum omnino retunditur. Unde Plinius *lib.* 16. *cap.* 5. *ſicut cicuta homini venenum eſt, ſic cicutæ vinum.* Hoc non fugit illos, qui, ut Plutarchus narrat *libro* περὶ ἀδολεσχίας, templum populaturi, prius Cicutam biberunt, ac vini lagenam ſecum detulere. Quòd eo factum, ut capti Cicuta prius morerentur quam afficerentur ſupplicio: periculum hoc ſi evaderent, vini hauſtu periculo item veneni liberarentur.

Hujus herbæ vis non eſt tanta ut a calore noſtro ſuperari non poſſit. Declarat hiſtoria anus Atticæ apud Galenum *lib.* 3. *cap.* 18. *de ſimplic. medicam. virib.* quæ cum ab ἐλαχίστου cœpiſſet Cicutam comedere, ac ſubinde majorem ſumendo paulatim copiam, tandem conſuetudinem mandendi ſibi feciſſet, quantitatem magnam ſimul vorabat impune.

Sed in viribus Cicutæ expendenda eſt locorum ratio, in quibus Cicuta provenit: experientia enim conſtat, non parum ejuſdem ſpeciei plantas variare per loca; neque ſolum plantas, ſed animalia atque homines ipſos. Hæ ſunt varietates juxta Plinium *lib.* 25. *cap.* 13. *Maxima vis (* Cicutæ *) natæ Suſis Parthorum, mox Laconicæ, Creticæ, Aſiaticæ, in Græcia vero Megaricæ, deinde Atticæ.*

Ceterum Cicuta non eſt omnibus animantibus exitioſa. Rajus affirmat inveniſſe in ventriculo diſſecto Otidis, ſeu Turdæ avis plurima Cicutæ ſemina, quatuor tantum aut quinque frumenti granis intermixtis, quod etiam meſſis tempore avis illa pro Cicuta neglexerat, adeo Cicuta delectatur. Lucretius de capris ait *lib.* 5.

Quippe videre licet, pingueſcere ſæpe cicuta
Barbigeras pecudes, homini quæ eſt acre venenum.

Sturnos etiam Cicuta innoxie paſci affirmat Galenus & affert cauſam hanc *lib.* 3. *cap.* 18. *de ſimpl. medicam. viribus*. οὕτως οὖν καὶ τὸ κώνειον ἄνθρωπον μὲν ἀναιρεῖ, τῇ τε τῶν πόρων εὐρύτητι καὶ τῷ πλήθει τῆς θερμότητος, καὶ τῇ ῥώμῃ τῆς τῶν ἀρτηριῶν ὁλκῆς ἰσχυρὸν ἔτι πρὸς τὴν καρδίαν ἀφικνούμενον· οὐκ ἀναιρεῖ δὲ τοὺς ψᾶρας ἐπὶ τοῖς ἐναντίοις αἰτίοις ἐπεχόμενόν τε καὶ βραδῦνον, καὶ φθάνον ἐν τῷ χρόνῳ προπέπτεσθαι, καὶ προπαρασκευάζεσθαι, καθάπερ ἑστίᾳ τινὶ τῇ καρδίᾳ προθερμαινόμενον ὡς ἔξω τὸ ξύλον. *Sic hominem quidem cicuta necat, tum ob meatuum amplitudinem, tum ob attractionis arteriarum robur validum, etiamnum ad cor pertingens. Sturnos vero ob cauſas contrarias haud enecat; ut, puta, cum & retineatur, & cunctetur, ſeſe temporis tractu concoqui præpararique a corde, tanquam a foco incaleſcens ſinat, non ſecus ac ligna extrinſecus.* Galenum ſequitur ὁ ἐν ἁγίοις Baſilius Magnus *Homil.* 5. *in Hexaemeron.* τὸ μὲν γὰρ κώνειον (inquit) οἱ ψᾶρες βόσκονται, διὰ τὴν κατασκευὴν τοῦ σώματος τὴν ἐκ τοῦ δηλητηρίου βλάβην ἀποδιδράσκοντες· λεπτοὺς γὰρ ἔχοντες τοὺς ἀπὸ τῆς καρδίας πόρους φθάνουσιν ἐκπέψαι τὸ καταποθὲν πρὶν τὴν ἀπ' αὐτοῦ ψύξιν τοῦ καιρίου καθάψασθαι. *Cicutam ſturni depaſcuntur, exitiliſque*

me-

medicamenti noxam corporis conſtitutionis beneficio effugiunt. Nam meatus, qui a corde pertingunt, tenues habent, quo fit ut prius, quod hujus hauſerunt, concoquant, quam ejus refrigeratio ad vitalia pervenire potuerit.

Cicuta Athenienſium celebratiſſimum venenum fuit. Hoc e medio ſublati fuere Demoſthenes, Socrates, Seneca, de quibus mentionem faciunt Plutarchus, Plato, & Cornelius Tacitus. Nec Athenienſium modo, ſed & Maſſilienſium publica pœna hæc fuit, teſte Valerio Maximo *lib.* 2. *cap.* 1. *Venenum* (inquit) *cicuta temperatum in ea civitate publice cuſtoditur, quod datur ei, qui cauſas Sexcentis (id enim Senatus ejus nomen eſt) exhibuit, propter quas mors ſit illi expetenda, cognitione virili, benevolentia temperata: quæ neque egredi vita temere patitur, & ſapienter excedere cupienti celerem fati vitam præbet; ut vel adverſa, vel proſpera nimis uſis fortuna (utraque enim finiendi ſpiritus, illa ne perſeveret, hæc ne deſtituat, rationem præbuerit) comprobato exitu terminetur.* Plutarchus in vita Phocionis, viri illius probi & fortis exitium narrat hunc in modum. ERUDITIO

Πεπωκότων δὲ ἤδη πάντων τὸ φάρμακον, ἀπέλιπε· καὶ ὁ δημόσιος, οὐκ ἔφη τρίψειν ἕτερον, εἰ μὴ λάβοι δώδεκα δραχμάς, ὅσου τὴν ὁλκὴν ὠνεῖται· χρόνου δὲ γινομένου καὶ διατριβῆς, ὁ Φωκίων καλέσας τινὰ τῶν φίλων, καὶ εἰπών· ἐπεὶ μηδὲ ἀποθανεῖν Ἀθήνησι δωρεὰν ἔξεστιν· ἐκέλευσε τῷ ἀνθρώπῳ δοῦναι τὸ κερμάτιον.

Cum bibiſſent omnes ac venenum deeſſet, & carnifex niſi acceptis duodecim drachmis (tanti enim vendebatur cicuta) aliud temperaturum ſe negaret, moramque id injiceret: quendam ſuorum amicorum vocavit, di-

cenſque: ne mori quidem Athenis niſi dato pretio licet: pecuniam numerare juſſit. Intelligimus hinc fuiſſe morem Athenis, ut publicus miniſter Cicutam emeret pecunia ſua: quare nolebat ille ita ſe comparare morti addictum, ut pluribus Cicutæ potionibus necandus eſſet, ne ipſe plus pecuniæ cogeretur in Cicutam impendere. Interea diſcimus non minus Cicutæ libra opus fuiſſe ad hominem interimendum cumque ſenem; itemque caro pretio fuiſſe Athenis, cujus libra duodecim drachmis, hoc eſt, monetæ Romanæ Seſtertiis octo & quadraginta conſtaret. Percipimus etiam ex hoc Plutarchi loco, quorſum referretur juſſum miniſtri, qui Cicutam Socrati præbiturus erat. Ut enim apud Platonem *in Phædone* eſt, cum Socrates in carcere ante mortem cœpiſſet vehementer de immortalitate animæ diſputare, miniſter Critonem unum ex ſociis ſtimulavit; moneret Socratem ut quam parciſſime loqueretur, dicens eos qui ita diſputarent, nimium incaleſcere; nihil vero tale bibituris venenum convenire: quippe ſuſcitato calore nativo veneni vim impediri: & eos qui id fecerint, cogi interdum bis, quandoque ter venenum bibere: Platonis verba ſunt. [Σω.] πρῶτον δὲ Κρίτωνα τόνδε σκεψώμεθα, τί ἐστιν ὃ βούλεσθαί μοι δοκεῖ πάλαι εἰπεῖν· τί δὲ ὦ Σώκρατες ἔφη ὁ Κρίτων ἄλλο γε ἢ πάλαι μοι λέγει ὁ μέλλων σοι δάσειν τὸ φάρμακον, ὅτι χρή σοι φράζειν ὡς ἐλάχιστα διαλέγεσθαι· φησὶ γὰρ θερμαίνεσθαι μᾶλλον διαλεγομένους· δεῖν δὲ οὐδὲν τοιοῦτον προσφέρειν τῷ φαρμάκῳ. εἰ δὲ μὴ ἐνίοτε ἀναγκάζεσθαι καὶ δὶς καὶ τρεὶς πίνειν τοὺς τι τοιοῦτον ποιοῦντας.

CLAS-

CLASSIS OCTAVA
DE
HERBIS
ET
SUFFRUTICIBUS

Flore Polypetalo, Caryophyllæo.

FLOS CARYPHYLLÆUS dicitur ille, qui componitur ex pluribus petalis in orbem poſitis, ex imo calyce tanquam e tubulo quodam emergentibus, ut in ipſo Caryophyllo obſervare eſt, qua in re a Flore Roſaceo differt Flos Caryophyllæus.

SE-

SECTIO I.

De Herbis flore Caryophyllæo, cujus piſtillum abit in fructum.

GENUS II.

Lychnis coronaria vulgo I.B. 3.349. *Lychnis Dioſcoridis ſativa C.B.P.* 203. ☼

LYchnidis nomen hujc herbæ veteres impoſuerunt παρὰ τὸ λύειν νύχος, ἤγουν σκότος, *quod tenebras ſolvat*, vel ab uſu quem antiquitus in ellychniis lucernarum præſtabant tomentoſa Lychnidum folia. Placet aliis nomen Lychnidis huic herbæ datum, non a frondium tomento, ſed a flammeo rutilanteque floris colore. Diſtinguendum eſt inter λυχνίδα & λυχνίτιδα, quæ vocum ſimilitudo multos in errorem conjecit: λυχνίτις enim Verbaſci ſpecies eſt.

CHARACTER GENERICUS. Lychnis eſt plantæ genus flore Caryophyllæo, plurimis ſcilicet petalis conſtante in orbem poſitis, plerunque cordiformibus (duobus aut tribus foliolis donatis corollam effigiantibus) ex calyce tubulato emergentibus. Piſtillum autem ex eodem calyce ſurgit, abitque deinde in fructum ut plurimum in conum deſinentem, apice dehiſcentem, calyce ipſo

ipſo involutum ſæpe unicapſularem, ſeminibus fœtum ſubrotundis, vel angulatis, interdum reniformibus, placentæ affixis.

Ex RADICE ſimplici multum fibroſa plures exeunt CAULES cubitales & altiores, teretes, tomentoſa lanugine incani in alas aliquot diviſi, FOLIIS veſtiti per intervalla ex adverſo binis, ad genicula caulem amplexis, lanugine denſa molli & incana obſitis, tres aut quatuor digitis longis, ſeſquidigitum latis in acumen deſinentibus (quæ tamen ad radicem obtuſa ſunt.) FLORES in ſummis caulibus & ramulis eodem fere modo diſpoſiti quo Ocymoidis vulgaris obſcure rubentes, e CALYCIBUS oblongis, ſtriatis, quinque in ſingulis eminentibus, ac ſi anguloſi eſſent, totidem minoribus interjectis. Florum PETALA ſubrotunda ſunt, & verſus umbilicum ſtriata, & ad ipſum umbilicum duos emittunt proceſſus denticulatos, ſatis rigidos, ſurſum erectos. VASCULUM SEMINALE ſuccedit craſſum, ventricoſum, pyriforme, copioſo SEMINE intus refertum ad modum Ocymoidis albi. Nullius uſus in Medicina. DESCRIPTIO JOANNIS RAJI.

Flos colore albo, & ex candido carneoque mixto variat. VARIETAS

Colitur in hortis multiplici petalorum ſerie inſignis. De Lychnide ſic Athenæus *lib.* 15. *περὶ δὲ τῆς λυχνίδος λέγων Ἀμερίας ὁ Μακεδὼν ἐν τῷ ῥιζοτομικῷ, φησὶν ἀναφῦναι αὐτὴν ἐκ τῆς Ἀφροδίτης λουτρῶν, ὅτε Ἡφαίστῳ συγκοιμηθεῖσα ἡ Ἀφροδίτη λούοιτο, εἶναι δὲ ἀρίστην ἐν Κύπρῳ καὶ Λήμνῳ, ἔτι δὲ Στρογγύλῃ, καὶ Ἔρυκι, καὶ Κυθήροις.* *Lychni-* LOCUS

dem

dem ſcribit Amerias Macedo in Rhizotomico ex aqua natam , in qua Venus lavit , poſtquam cum Vulcan concubuit . Eximiam in Lemno & Cypro gigni ; itemque in Strongyle , Erice , Cytheris .

CLAS.

CLASSIS NONA DE HERBIS ET SUFFRUTICIBUS

Flore Liliaceo.

FLOS LILIACEUS dicitur ille qui vel conflatur ex petalis ſex, raro tribus, vel in ſex partes ſecatur. Huic autem proprium eſt ut piſtillum ejus aut calyx abeat in capſulam in terna loculamenta ſemper diviſam. Tales ſunt flores Tulipæ, Hyacinthi, Aſphodeli, Ephemeri, qui Liliacei appellantur, non tantum quod maxima eorum pars ad Lili formam quodammodo accedat, ſed quod fructum poſt ſe relinquant ſemper tricapſularem, qualis eſt fructus Lilii.

SECTIO I.

De Herbis flore Liliaceo, monopetalo in ſex partes ſecto, cujus piſtillum abit in fructum.

GENUS I.

Aſphodelus albus, ramoſus, mas. C. B. Pin. 28.
Aſphodelus major flore albo ramoſus I. B. 2. 625
Aſphodelus I. Cluſ. Hiſt. 196.

ASphodelon dictam exiſtimant quaſi σπόδελον, διὰ τ τ καιομένων νεκρῶν σποδόν, *a mortuorum combuſtorum cinere*. Cum de Malva ſermo nobis fuit, diximus veteres ſerere in tumulis ſolitos fuiſſe Malvam & Aſphodelum, ne deeſſet cibus mortuis, ut Porphyrius in quodam Epigrammate ſcriptum reliquit, ubi tumulum loquentem his verbis facit. Νώτῳ μὲν μαλάχην τε ϗ ἀσφόδελον πολύῤῥιζον, κόλπῳ δὲ τὸν δεῖνα ἔχω. Alii tamen credunt aſphodelum dici quaſi ἀσφαλλόν, *minime ſupplantabilem* a verbo Græco σφάλλω *ſupplanto*, *everto*, & α privativa; id autem propter numeroſam bulborum progeniem. Iſtius, inquit Cluſius, radices videre memini, dum Olyſſipone Hiſpalim proficiſcerer, aratro erutas, quæ 200. aut plures ab eodem capite pendentes eoſque craſſos admodum napos haberent, ut 50. aut amplius libras totam plantam pendiſſe putem; ita-

itaque nihil mirum ſi Plinius 80. ſimul acervatis ſæpe bulbis referat.

Nicander plantam hanc vocat διανθέα quaſi habeat duplicem florem, ἤτοι διαφανῆ διανθῆ (*ſive pellucide florentem*. Idem Nicander tenerum ramunculum πολυαυξέα appellat.

Ἠὲ καὶ ἀσφοδέλοιο νέον πολυαυξέα μόσχον.

Sive & aſphodeli recentem multi incrementi ramulum.

Non omittendum, a Theophraſto *lib.* 1. *cap.* 7. caulem aſphodeli ἀνθέρικον appellari. Suidas hæc habet. Ἀνθέρικες αἱ τῶν σταχύων προβολαί, καὶ ἄκραι· Ἡρόδοτος δὲ τοὺς καυλοὺς φησι τῶν ἀσφοδέλων· εἰσὶ δὲ ἄθραυστοι. *Antherici ariſtarum culmina & faſtigia; Herodotus caules Aſphodeli ſic vocatos ſcribit. Sunt autem hi fractu contumaces* (Hinc natum adagium *antthericum metere* de iis qui laborem inanem ſterilemque capiunt) Hoc confirmat Theocriti Scholiaſtes *Eidyll.* 1. ὁ δὲ καυλὸς (ἀσφοδέλου) ἀνθέριξ καλεῖται, ὅσον πηχυαῖος ὢν ἢ μείζων· τὸ αὐτὸ δέ φησι καὶ Θεόφραστος. Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ Δωριεὺς φησιν οὐ λέγεσθαι τὸν τῆς ἀσφοδέλου καυλόν· ὁ δὲ Νεοπτόλεμος γελοίως ᾠήθη τὸν ἀνθέρα τοῦ στάχυος. *Caulis* (Aſphodeli) *Antherix vocatur, cubitali aut etiam majori altitudine: negat Apollodorus Dorienſis ſic dici aſphodeli caulem. Neoptlomus vero ridicule cenſet ſic dictas floridas ſpicas.*

Aſphodelus eſt plantæ genus flore liliaceo, monopetalo in ſex partes ſecto, ex cujus meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum fere globoſum, carnoſum, & trigonum, apice dehiſcentem, in tria loculamenta diviſum, ſeminibuſq; fœtum triangularibus. CHARACTER GENERICUS

Multa habet oblonga FOLIA, anguſta, trian- DESCRIPTIO CAROLI CLUSII.

gula, & veluti carinata, fungoſa, & lenta, mucronata: CAULEM rotundum, lævem, bicubitalem interdum, in ramulos ſuperne fiſſum, quem a medio fere ſurſum vergendo exornant multi ſtellati FLORES, coloris intus albi, foris vero nervo purpuraſcente ſingula folia ſecundum longitudinem quaſi diſtinguente (ut Ornithogali flos vireſcente linea eſt diſtinctus) ſex ſtaminibus medium occupantibus: SEMEN durum, lignoſum, rugoſum, atrum, & figura triquetra, capitulo orbiculari fere, ſed tribus eminentioribus coſtis prædito, & ex viridi purpuraſcente continetur, quod illo per maturitatem dehiſcente cadit. Floret per partes, ut vere dicit Theophraſtus, & incipit ab imis. RADICES ab uno capite numeroſæ exeunt, oblongæ, exiguis napis ſimiles, ſed inferiori ſede craſſiores, atque in fibras deſinentes, ſucci plenæ, candicantes, ingrati & acris guſtus.

ERUDITIO Aſphodeli flos coronarius eſt: hoc flore apud inferos conſpergitur illud pratum, quo illi excipiuntur qui Acherunticam tranſmiſerunt paludem. Lucianus *de luctu*. περαιωθέντας δὲ τὴν λίμνην ἐς το εἴσω, λειμὼν ὑποδέχεται μέγας, τῷ ἀσφοδέλῳ κατάφυτος. Et mortui apud eundem ita loquuntur: οὐδ᾽ ἐπιλέλοιπεν ἡμᾶς ὁ ἀσφόδελος, ἵνα παρ᾽ ὑμῶν τὰ σιτία μεταστελλώμεθα. Idem Lucianus *Ver. Hiſt. lib.* 2. facit eam navem, qua heroes miſſi ab Rhadamanto ad reducendam Helenam cum amatore ſuo fugientem ex inſula beatorum, Aſphodelinam. Apud eundem Scriptorem Jon Eucrati dicit animas mortuorum eſſe ἐπὶ τοῦ ἀσφοδέλου.

CLAS-

CLASSIS DECIMA
DE
HERBIS
ET
SUFFRUTICIBUS

Flore polypetalo, Papilionaceo.

FLOREM leguminoſum a Papilionis forma PAPILIONACEUM appellavit Cordus *Hiſt. lib.* 2. *cap.* 162. Flos autem Papilionaceus quatuor petalis diſſimilibus componitur ex calyce unifolio, cavo, cucullum papyraceum referente, & multifido, ſimul cum piſtillo exurgentibus. Petalum ſuperius, quod ſigni cujuſdam militaris adinſtar explicetur, VEXILLUM audit; inferius cymbæ modo concavum, CARINA; quæ vero medium locum occupant, ALÆ ſolent appellari, ad exortum auritæ, perinde ac carina quæ plerunque in duas partes per longitudinem dehiſcit: unde flos leguminoſus proprie loquenti pentapetalos anomalos dicendus eſt. Huic flori

flori proprium eſt ut piſtillum ejus excipiatur a vagina quadam fimbriata, ſeu potius in ſtamina diviſa, & deinde abeat in fructum qui ſiliqua vocatur.

Siliqua vel unicapſularis eſt, vel bicapſularis, vel articuloſa.

Unicapſularis in duas valvas dehiſcere ſolet, & ſemina complecti reniformia, cylindracea, ſphœrica, plana, rhombidea aut quadrangula, introrſum emarginata, vel alterius formæ. His alimentum ſubminiſtratur a vaſis per longitudinem partis craſſioris ſiliquæ protenſis, quorum ramuli in placentam influunt tenero fructui adhæreſcentem.

Siliqua bicapſularis in ſe ipſam introrſum revolvitur, ac in duo loculamenta dividitur ſeminibus fœta.

Demum ſiliqua articuloſa ex pluribus partibus conſtat articulatione quadam conjunctis, quæ ſingulæ ſemine turgeſcunt. Loti ſiliquæ articulatione carent, ſed lamellis quibuſdam ut plurimum intercipiuntur, & in loculos diſtinguuntur.

SECTIO II.

De Herbis, flore papilionaceo, cujus piſtillum abit in ſiliquam unicapſularem, longam.

GENUS II.

Lupinus ſativus, flore albo. C. B. Pin. 347. *Lupinus vulgaris, ſemine & flore albo, ſativus. J. B.* 2. 288. *Lupinus ſativus Dod. Pempt.* 529. *Trag.* 622. ☿

LAtini Lupinum appellarunt, quod ſicut lupus terram appetit & in fame terra veſcitur, ita *lupinus*, ut Plinius *lib.* 18. *cap.* 14. docet, *adeo tellurem amat ut quanvis frutetoſo ſolo conjectum inter folia vepreſque, ad terram tamen radice perveniat.* Rectius Iſidorus *lib.* 17. *Orig. cap.* 4. Græcum eſſe origine aſſerit. Eſt enim ἀπὸ τῆς λύπης. Qua de cauſa a Virgilio triſtis dicitur *lib.* 1. *Georg.*

Aut tenuis fœtus viciæ, triſtiſque lupini
Suſtuleris fragiles calamos, ſylvamque ſonantem.

Ideo veteribus Græcis θέρμος vocatur, quod θερμῷ aqua calida lavetur, & maceretur, ut amarorem exuat triſtem moleſtumque. Apud Alciphionem λυπηνάειον hac eadem de cauſa dictum. Suidas λυπηνάεια εἶδος ὀσπρείου, ἃ θέρμους καλοῦσιν, οἱ δὲ θέρμα· ἡ ἀλθεῖα τὸ θέρμον. *Lupenaria ſpecies leguminis, quæ Thermos*

mos vocant vel therma: rectum enim Thermon: λυπηρὸς *triſtis, anxius* dicitur. Apud Athenæum legitur, Polemonis teſtimonio lupinos apud Laconas Lyſiadas vocatos. πολέμων δέ φησι τοὺς λακεδαιμονίους τοὺς θέρμους λυσιλαΐδας (alii λυσιάδας legunt) καλεῖν. Apud eundem Athenæum θερμοκύαμον vocatum lupinum legere eſt. καὶ σημειῶσαί φησι τὸ θερμοκυάμους, ἐπεὶ καὶ νῦν οὕτω λέγε)· Græci barbari λούπιον appellarunt. Cyrillus in *Lexico* θερμίων λουπίνων. Nonnus de *Morb. curat. cap.* 1. λουπίνων ἀπόζημα σμήξας σμήχου.

Lupinus eſt plantæ genus, flore papilionaceo, CHARACTER GENERICUS ex cujus calyce ſurgit piſtillum quod deinde abit in ſiliquam ſeminibus fœtam, nunc planis, nunc ſphœricis. His notis addenda ſunt folia flabelliformia, ſeu digitatim pediculo innaſcentia.

CAULIS hujc cubitalis & ſeſquicubitalis, me- DESCRIPTIO JOANNIS RAJI diocriter craſſus, teres, hirſutus, erectus, ramoſus, medulla farctus (quanvis alii concavum faciant) foliis nullo aut alterno ordine poſitis veſtitus. FOLIA pediculis duas treſve uncias longis innituntur, ex ſeptem plerunque ſegmentis oblongis, anguſtis e pediculi faſtigio eodem puncto enatis, Pentaphyllorum in modum compoſita, (folia hujuſmodi Jungio non inepte digitata dicuntur) e glauco obſcure virentia, ad margines æqualia, ſubtus hirſuta lanugine incana & quaſi argentea ad margines præcipue. Horum latera noctu contrahuntur, ipſaque inſuper ad pediculum terram verſus reflexa dependent. FLORES in ſummis caulibus & ramulis in ſpicas digeſti, papilionacei, albi, pedicu-

diculis brevibus. Floribus ſuccedunt SILIQUÆ, tres uncias longæ, hirſutæ, erectæ Fabacearum inſtar, pulpoſæ, compreſſæ, quinque vel ſex SEMINA majuſcula, orbiculata, & nonnihil anguloſa, compreſſa, qua parte ſiliquæ adhærent, cavitatem quandam velut umbilicum exiguum habentia, foris alba, intus lutea, ſapore amaro continentes. RADIX ſubeſt dura, alba, multifida.

Seruntur in Hetruria, inquit Matthiolus, non modo ad alimentorum uſum, ſed ad agros impinguandos, & Plinius pingueſcere hoc ſatu arva vineaſque dixit; ita ut pro optimo fimo ſit. Omnes veteres qui de Agricultura ſcripſerunt, id confirmant, Geoponικῶν autor, Cato, Columella, Virgilius. Columella *lib.* 11. *cap.* 16. ait: *jam vero, ut ego reor, ſi deficiatur omnibus rebus agricola, lupini certe expiditiſſimum præſidium non deeſt; quod cum exili loco circa Idus Septembris ſparſerit & inaruerit, idque tempeſtive vomere vel ligone ſucciderit, vim optimæ ſtercorationis exhibebit. Succidi autem lupinum ſabuloſis locis oportet cum ſecundum florem, rubricoſis, cum tertium egerit. Illic dum tenerum eſt convertitur, ut celeriter ipſum putreſcat, permiſceaturque gracili ſolo: hic jam robuſtius, quod ſolidiores glebas diutius ſuſtineat & ſuſpendat, ut eæ ſolibus æſtivis vaporatæ reſolvantur.* Idem *eodem lib. Lupini prima ratio eſt, quod minimum operarum abſumit, & viliſſime emitur, & maxime ex iis quæ ſeruntur, juvat agrum. Nam vineis jam emaciatis, ac arvis optimum ſtercus præbet, ac vel effœto ſolo provenit, vel repoſitum* OBSERVATIO

in granario ; patitur ævum. Virgilius etiam *lib.* 1. *Georg.*

Alternis item tonſas ceſſare novales,
Et ſegnem patiere ſitu dureſcere campum.
Aut ibi flava ſeres mutato ſydere farra,
Unde prius lætum ſiliqua quaſſante legumen,
Aut tenues fœtus viciæ, triſtiſque lupini
Suſtuleris fragiles calamos, ſylvamque ſonantem.

VIRES Farina lupinorum quarta eſt inter farinas reſolventes, quarum uſus tam frequens in cataplaſmatibus eſt. Plerunque cum Oxymelle commiſcetur in tumoribus teſticularibus medicandis. Apozema ex ſeminibus aperiens eſt. Compoſitio ex melle, aceto, & pulvere lupinorum necat lumbricos; idemque decoctio facit. Tragus folia rutæ, & piper addit. Decoctio lupinorum contra omnia cutis vitia valet. Farina eorum cocta ſimul cum aceto, tumoribus & ſtrumis applicata, eas ſenſim diſſipat, præſertim ſub initium.

ERUDITIO Apud Athenæum *lib.* 2. legitur hoc reſponſum Zenonis Cittiei. Διὸ καὶ Ζήνων ὁ Κιτιεὺς σκληρὸς ὢν καὶ πάνυ θυμωτικὸς πρὸς τοὺς γνωρίμους, ἐπιπλεῖον τοῦ οἴνου σπάσας, ἡδὺς ἐγίνετο καὶ μείλιχος· πρὸς τοὺς πυνθανομένους οὖν τοῦ τρόπου τὴν διαφορὰν, ἔλεγε τὸ αὐτὸ τοῖς θέρμοις πάσχειν. καὶ γὰρ ἐκείνους πρὶν διαβραχῆναι πικροτάτους εἶναι, ποτισθέντας δὲ γλυκεῖς καὶ προσηνεστάτους. *Quapropter Zeno Cittieus in familiares durus ac iracundus, multo vini hauſtu cum placidus & lenis fieret, interrogatus, quidnam ſic ingenium mutaret; id accidere ſibi reſpondit quod lupinis, priuſquam madefiant aqua, amariſſimis, poſtea*

quam

quam macerati ſint & appoti, dulciſſimis & mitiſſimis. Hujus reſponſi meminit etiam Laertius in Zenone. Καὶ οἱ θέρμοι πικροὶ ὄντες, βρεχόμενοι γλυκαίνονται. *Etiam lupini qui ſunt amari, aqua perfuſi dulceſcunt*.

Lupinus etſi amarus, cibus Philoſophis fuit maxime conſuetus. Cynicorum pera præcipue his referta: uti verſus Cratetis apud Ariſtotelem teſtatur.

Οὐκ οἶσθα πήρα δύναμιν ἡλίκην ἔχει,
Θέρμων τε χοίνιξ.
Neſcis quantam pera virtutem habeat,
Et Lupinorum chœnix.

Hinc detonſæ Stoicorum & Cynicorum juventutis *ſiliquas* & *polentam* cibum memorat Perſius *ſat.* 3. ἄλφιτα καὶ θέρμους, Ad Cynicos qui veſcebantur amaris lupinis, eoſque in pera gerebant, alluſit Horatius *Epiſt.* 7.*lib.* 1.

Non tamen ignorat, quid diſtent æra lupinis.

Ubi ut Turnebus a Muretus edoctus ſcripſit *Lib.* 1. *Adverſ. cap.* 15. per *æra* intelliguntur *nummi ærei*, per lupinos *nummi Comici* e Lupinis confecti. Unde Horatius: *quid diſtent æra lupinis*, ideſt, quantum nummus vilis, ſed tamen probatus, diſtet a falſo; itemque vilis homo, ſed tamen probitate inſignis, a malis. Ut omnino fallantur qui corrigunt, *quid diſtent erva lupinis*. Reſpexit enim Poeta ad Plauti locum ubi lupinum aurum Comicum vocat. Nam in Scena nummis ex lupino factis, pro aureis utebantur Comici. Plautus *Pœn. Act.* 3. *Scen.* 2.

AG. *Agite, inſpicite: aurum eſt*. COL. *profe-*
cto, ſpectatores, Comicum:
Macerato hoc pingues fiunt in barbaria boves.
Verum ad hanc rem agendam Philippeum eſt.

Sed & Lupinus antiquitus, ut notat Salmaſius, inter pondera, duo κεράτια pendebat: κεράτιον autem ſextam partem ſciptuli æquabat.

CLASSIS UNDECIMA

DE

HERBIS

ET

SUFFRUTICIBUS

Flore Polypetalo, anomalo.

FLORES Polypetalos, anomalos appellamus nonnullos flores multiformes, ex pluribus petalis diſſimilibus compoſitos, qui ſingulari nomine comprehendi nequeunt: quales ſunt flores Balſaminæ, Violæ, & ceterarum, de quibus in hac Claſſe agemus.

SECTIO I.

De Herbis flore Polypetalo, anomalo, cujus piſtillum abit in fructum unicapſularem.

GENUS II.

Viola Martia purpurea, flore ſimplici odorato C. B. Pin. 199. *Viola Martia purpurea I. B. 2. 542. Viola nigra ſive purpurea Dod. Pempt.* 156. ☼

VIolam Iſidorus denominatam credit propter odoris vim, ſed rectius Viola quaſi *jola* a voce Græca ἴον *viola*, ſic Græcis dicta παρὰ τὸ ἀνιέναι ταχὺ, *ab eo quod ſtatim ſurgit aut apparet*: eſt enim viola prænuncia & præmonſtratrix omnium pulchritudinum veris. Id quod aperte Horatius *lib.* 1. *Carm.*

Nunc decet aut viridi caput impedire myrto
Aut flore, terræ quem ferunt ſolutæ.

Violam intelligit, quæ primo vere floret, quod anni tempus ita deſcribit Ovidius *lib.* 3. *Triſt.*

Jam violas puerique legunt, hilareſque puellæ,
Ruraque quæ nullo nata ſerente vehunt.
Prataque pubeſcunt variorum flore colorum,
Indocilique loquax gutture vernat avis.

Nicander *lib.* 2. *Georg.* apud Athenæum *lib.* 15. vult ἴον Violam dictam, quod Nymphæ Joniades florem hunc primum Joni munera dedere.

Vio-

Viola eſt plantæ genus flore polypetalo, anomalo, papilionacei floris æmulo: hujus enim duo petala ſuperiora vexillum, duo lateralia alas, inferius vero quod in caudam deſinit, carinam quodammodo repræſentant. Ex calyce autem ſurgit piſtillum quod deinde abit in fructum plerumque trigonum, trifariam dehiſcentem, ſeminibuſque fœtum, ut plurimum ſubrotundis. CHARACTER GENERICUS.

E RADICIBUS fibroſis, aliquando in plura capita diviſis. CLEMATA emittit multa, quæ fibris ſubinde demiſſis radicantur, & plantam propagant. FOLIA e radicibus & ſarmentis exeunt multa, ex rotundo nonnihil oblonga, ſerrata, longis pediculis appenſa: inter quæ PETIOLI, e radice quoque enati alii, ſinguli FLOREM ſuſtinentes ex cæruleo purpuraſcentem, odoris ſuaviſſimi, calcari donatum, e quinque foliolis compoſitum; quo evaneſcente ex aliis pediculis (quod notatu dignum & ſingulare eſt in hac planta) ad radicem oriuntur ſubrotunda CAPITULA in tres carinas dehiſcentia, SEMINE plena parvo, rotundo. VASCULA SEMINALIA extrinſecus hexagona videntur, intus in terna loculamenta dividuntur, quorum unumquodque binos ſeminum ordines continet. DESCRIPTIO J. BAUHINI

In aggeribus ſepium invenitur. LOCUS

Variat floris colore albo, hinc *Viola martia alba*. *C.B.* Flore multiplici ſeu pleno in hortis culta invenitur. J. Bauhinus obſervavit *Violam martiam intenſe purpuream flore minore pleno*, item aliam VARIETAS

flo-

flore ex albo , & cæruleo mixto multiplicato , odoratiſſimo . Coſtæus *Com. in Meſuem*, Violæ ſpeciem Byſantii coli ſcribit Martiæ ſimilem , ſed flore infinitis foliolis conſtructo , & Roſam Damaſcenam æquante , non ſolum magnitudine ſed & odore noſtrates ſuperante .

CHYMICA ANALYSIS Chymici ſegregant ex Viola liquores multos acidos, oleum multum , copioſum ſal volatile concretum, & fixum lixiviale : quare non mirum eſt violam edulcorare phlegmate & oleo ſuo ; eſſe diureticam diſſolventemque cum principiorum aliorum mixtura . In violæ ſale ineſt aliquid ſalis Ammoniaci : pars enim ejus urinoſa eſt.

VIRES Flos recens refrigerare , humectare , emollire, laxare , & in quatuor Cardialium numero eſse dicitur . Febrium fervorem , & cephalalgiam inde natam , itemque tuſſim , gutturis aſperitatem , & pleuritidem compeſcit . Ad hos affectus, & ad alvum leniter ſubducendam confert . Syrupus præcipue commendatur . Violarum ſemen inſigne lithontripticum eſt : ſcribente Needham , olim erat inter arcana. Emulſio vero ſeminum violæ vomitum plerunque, ac ſeceſsum movet , ut admonet Schroderus . Radices quoque , ac floris umbilicus vim catharticam habent . Dioſcorides & Plinius , id quod in flore purpureum eſt, cum aqua potum , angina correptis & comitialibus maxime pueris mederi , affirmant . Quod autem ajunt , comitialibus mederi, inquit Paulus Renealmus , experientia docuit non vacare impoſtura .

Viola in coronis multis de cauſis locum habuit, præcipue vero quod ex hauſto liberius vino capitis doloribus medeatur: rationem adfert Plinius *lib.* 21, *cap.* 19. *Violæ purpureæ refrigerant crapulam, & gravedines capitis impoſitis coronis olfactuque diſcutiunt*. Rectius ſane Plutarchus *lib.* 3. *Sympoſ. quæſt.* 1. Μάλιστα μὲν γὰρ ὁ ἄκρατος, ὅταν τῆς κεφαλῆς καθάψηται, καὶ νοσώσῃ τὰ σώματα πρὸς τῶν αἰσθήσεων ἀρχὰς, ἐπιταράσσει τὸν ἄνθρωπον. αἱ δὲ τῶν ἀνθῶν ἀπόῤῥοιαι πρὸς τοῦτο θαυμασίως βοηθοῦσι καὶ ἀποτειχίζουσι τῆς κεφαλῆς ἀπὸ τῆς μέθης ὡς ἀκρόπολιν· τῶν μὲν θερμῶν μαλακῶς ἀναχαλώντων τοὺς πόρους καὶ ἀναπνοὴν τῷ οἴνῳ διδόντων. ὅσα δὲ ἡσυχῆ ψυχρὰ, τῷ μετρίως ἐπιψαύειν ἀνακρουομένων τὰς ἀναθυμιάσεις, ὥσπερ ὁ τῶν ἴων καὶ ῥόδων στέφανος· στύφει γὰρ ἀμφότερα, καὶ στέλλει τῇ ὀσμῇ τὰς καρηβαρείας. *Maxime enim merum quando caput ferit, & intendit corpora, perturbat, ſenſuum principio perculſo. At florum exhalationes, mirabiliter contra hoc malum præſidio ſunt, caputque veluti arcem muniunt, ad ebrietatem pellendam. Nam & calidi flores molliter aperiendis meatibus faciunt, ut perſpirare vinum poſſit, & quæ leviter frigida ſunt, mediocri contactu vapores repellunt, ut violacea, & roſacea corona. Utrumque enim horum adſtringit, reprimitque odore ſuo ea, quibus caput gravatur.* ERUDITIO

Altera cauſa cur coronis addatur, eſt pulchritudo. Certant priſci Scriptores, quis plurimum tribuat violę pulchritudini. Homerus floris hujus gratiam ſignificat, dum ipſam Venerem vocat ἰοστέφανον, *viola coronatam*, *in ultim. Hym.* εἰς Ἀφροδ.

Εἶδος θαυμάζοντες ἰοστεφάνου Κυθερείης.

Speciem admirantes viola redimitæ Cythereæ.

Imitatus Homerum Solon Græcorum ſapientiſſimus idem epitheton Veneri attribuit his verſibus apud Plutarchum *in vita Solonis*

Αὐτὰρ ἐμὲ ξὺν νηΐ θοῇ κλεινῆς ἀπὸ νήσου.
Ἀσκηθῆ πέμποι Κύπρις ἰοστέφανος.

Verum me cum navi celeri ab inclyta inſula
Incolumem mittat Cypris viola coronata.

Invenimus etiam Deam hanc dictam ἰοβλέφαρον, *violaceis palpebris*. Ariſtophanes *in Equit.* Athenas ornat hoc appoſito

Ἐν ταῖσι ἰοστεφάνοις οἰκεῖν, ταῖς ἀρχαίαισιν Ἀθήναις.
Viola coronatis antiquis habitare Athenis.

Pindarus, Theognis, Theocritus, Summius Rhodius Muſas vocarunt ἰοπλοκάμους *violaceo capillitio prædita*s. Chloe apud Longum *lib.* 3. plectit corollam e violis, eamque ut virginale munus Daphnidi imponit. Apud Theocritum votum extat in Thyrſi, ut rubi & ſpinæ ferant violas.

Νῦν ἴα μὲν φορέοιτε βάτοι, φορέοιτε δ' ἄκανθαι.
Nunc violas feratis rubi, feratis ſpinæ.

Tanto in pretio fuit Violæ pulchritudo, ut jam marcida adhuc pulchra habita fuerit. Oculorum pulchritudinem Achilles Tatius *lib.* 3. aſſimilat huic violaceo marcori. οὔτε τῶν ὀφθαλμῶν ἄνθος ἐστὶν ἀμέριμνον, ἀλλ' ἔοικε τοῖς ἄρτι μαραινομένοις ἴοις. *Neque oculorum flos eſt ſine cura; ſed ſimilis eſt violis quæ paulo ante aruerunt.*

Tertia cauſa cur in coronis recepta viola, eſt odoris ſuavitas: patet ex Oppiani verſibus qui ſunt de puella legente hunc florem, eoque ſe coronante.

Ω'ς

Ὡς δ᾽ ὅτε παρθενικὴ γλαγόεντος ἐν εἴαρος ὥρῃ
Ἀβλαύτοισι πόδεσσιν ἀν᾽ οὔρεα πάντ᾽ ἀλάληται
Ἄνθεα διζομένη· τὸ δέ οἱ μάλα τηλόθ᾽ ἐούσῃ
Νηδύμιον προπάροιθεν ἴον μήνυσεν ἀϋτμή.
Τῇ δὲ μάλ᾽ ἰάνθη, μείδησε δὲ θυμὸς ἐλαφρός·
Ἀλᾶται δ᾽ ἀκόρητος. ἀναψαμένη δὲ κάρηνον
Εἶσιν ἐς ἀγραύλων δόμον ἀείδουσα τοκήων.

Ut autem cum puella lactei in veris tempore
Nudis pedibus per montes omnes aberrat
Flores quærens. Huic autem valde procul remotæ
Suavem anterius violam indicant halitus,
Eique valde lætatur, ridetque animus levis,
Erratque inexplebilis, ac revinciens caput
Vadit in agreſtium ædes cantillans parentum.

Has, inquam, ob cauſas, quia viola tam utilis, tam grata, tam pulchra, tamque odorata eſt, priſci coronam ex hoc flore plexam vocant κορωνίδα, quaſi ſummitatem & excellentiam corollarum ſive coronarum: & κορωνίδας interpretantur *e violis plexas coronas*, tanquam omnium ſpecioſiſſimas.

Etiam in Anagrammatiſmis locum habuit. Licophronis numerant eum qui eſt de Arſinoe Regina: hanc enim vocarunt ἴον ἥρας *Violam Junionis*, manentibus iiſdem ex ἀρσινόη literis, ac tantummodo loco mutatis.

Non omittendum, hoc potiſſimum flore Lares coronari, & florem unum omnibus vernis floribus lepide ſociari, præcipue roſis & liliis: alterum diſcimus ex Juvenalis verſibus:

Inde domum repetam, graciles ubi parva coronas

Accipiunt fragili ſimulachra nitentia cera:
His noſtrum placabo Jovem, Laribuſque paternis
Thura dabo, atque omnes Violæ jactabo colores.

alterum ex Virgilio *in Copa.*

Sunt etiam croceo Violæ de flore corollæ,
Sertaque purpurea lutea miſta roſa:
Et quæ virgineo libata Achelois ab amne
Lilia vimineis attulit in calathis.

Ut ne hoc quidem prætereatur, dictio hæc *Viola* diſertiſſimis hominibus uſque eo placita eſt, ut ea etiam ſignarint ipſas eloquentiæ pulchritudines. *Epicurus*, inquit Martianus Capella *lib.* 2., *mixtas violas roſis, & totas apportabat illecebras voluptatum.* Id quod potiſſimum ad ſuavitatem ſermonis referri debet: ſi quidem violis quidquam nec mollius eſt, nec delicatius.

CLAS.

CLASSIS DUODECIMA
DE
HERBIS
ET
SUFFRUTICIBUS
Flore Floſculoſo.

FLOS FLOSCULOSUS componitur ex plurimis floſculis denſe poſitis, eodemque calyce comprehenſi. Floſculi autem ſunt petala fiſtuloſa, tenuja, quorum ſuprema pars ampliatur, multifariam, ſæpius tamen ſtellæ inſtar diviſa, inſidentque tenero plerunque fructui ſive embryoni, e quo prodit capillamentum ultra vaginam protenſum, quinque fulcris innixam. Embryones fundum calycis occupant, quod Thalamus vocatur, abeuntque in ſemen pappis inſtructum, vel iiſdem carens, aut aculeatum. Hujuſmodi flores obſervantur in Santolina, Jacea, Carduis, ceteriſve.

SECTIO III.

De Herbis flore floſculoſo, ſemine pappis nequaquam inſtructo.

GENUS IV.

Artemiſia vulgaris, major, caule & flore purpuraſcentibus. C. B. Pin. 137. *Artemiſia vulgaris I. B.* 3. 184. *Artemiſia rubra Tabern. Icon.* 7. *Artemiſia Parthenii* 8. *ſpecies. Brunſ. Artemiſia mater herbarum Lob. Icon.* 764. *Artemiſia* 1. *vulgaris Lugd.* 950.

ARtemiſiam ab Artemide (Diana παρὰ τὸ τὸν ἀέρα τέμνειν) appellatam memorat Plinius *lib.* 25. *cap.* 7. *Sunt*, ait, *qui ab Artemide Ilithyia cognominatam putant, quoniam privatim medeatur fœminarum mali*. Ab Artemide hoc nomen derivat & Macer, ut & Vegetius, qui radicem Artemiſiæ Dianinam vocat. (Solenne Græcis fœminis erat in partu Dianam ſive Artemidem Ilithyiam, Εἰλείθυιαν invocare: quemadmodum Romanæ Junonem Luciniam implorabant. *Ovidius lib.* 9. *Metamorph.*

Præpoſitam tumidis parientibus Ilithyiam)

Sed nihil obſtat quod nomen impoſitum ſit ἀπὸ τοῦ ἀρτεμέος, quod eſt *incolumis*: hinc ἀρτεμισία, quod multas incolumes reddat. Suidas, ἀρτεμής, ὁλόκληρος, σῶος, ὑγιής, ἄρτεμις δὲ ἡ θεός. Heſychius

ἀρ-

ἀρτεμῆ, σῶον, ὑγιᾶ, σώφρονα. Antiquitus Παρθενὶς ideſt *Virginalis* dicebatur, quod Virgo Dea nomen illi dederit: eadem de cauſa παρθένιον dictam apud Apulejum legimus. *Mulieres*, inquit Plinius *lib.* 25. *cap.* 7. *hanc gloriam affectavere, in quibus Artemiſia uxor Mauſoli adoptata herba, quæ parthenis dicebatur.* Plinius hoc loco Artemiſiam Mauſoli (quæ Iſocratis, Demoſtheniſque ætate floruit) cum Lygmalidis filia confundit. Ante enim Artemiſiæ Mauſoli uxoris tempora nomen id obtinuiſſe ex Hippocrate qui eam Artemiſiam nuncupat, ſatis conſtat. Ab Artemiſia autem Lygmalidis filia, quæ Perſico vixit bello, nomen hanc herbam uſurpaſſe, a veritate non videtur alienum V. Cl. Allatio *in Notis ad Phil. Byzant. de T. Orbis Specta. inſert. T.* 8. *Theſauri Græc. antiqu. C.* 2682. Geminam hanc Artemiſiam agnoſcit Harpocration *pag.* 48. agnoſcit & Tzetzes *Chiliad.* 12. *verſ.* 966. *hiſt.* 455.

Μίαν Ἀρτεμισίαν μὲν ἔχεις τῆς τοῦ Μαυσώλου,
Ἄλλην Ἀρτεμισίαν δὲ τῆς Εἰκατόμνου ἔχεις,
Ἄμφω δὲ στρατηγέτιδας, γυναίκας ἀμφοτέρας.

Sed cum ille utramque dicat Cariæ Reginam, recte ſuſpicatur Cl. P. Harduinus, Reges Cariæ omnes Mauſolos, ut Ægypti Ptolemæos cognominatos eſſe: ac de vetuſtiore Plinium locutum.

Artemiſia eſt plantæ genus, flore floſculoſo, plurimis ſcilicet floſculis conſtante multifidis, embryoni inſidentibus, & calyce ſquamoſo comprehenſis. Inter floſculos vero occurrunt & embryones nudi in capillamentum bifidum deſinentes, CHARACTER GENERICUS

pe-

qui perinde ac embryo abeunt in ſemen Abſinthii æmulum: ab Abſinthio autem differt ſola facie externa; nam florum diſcrimen oculos pene fugit.

DESCRIPTIO JOANNIS RAJI

RADICE digitali, obliqua reptat, demiſſis ſubinde fibris majuſculis albis (ſapore ſubdulci & aromatico) CAULES ſurrigit bicubitales, aut tricubitales, digitali craſſitudine, teretes, ſtriatos, brevi lanugine hirſutos, ſatis firmos, & rigidos, plurimum purpuraſcentes, medulla farctos, foliis crebris alternatim poſitis veſtitos, ſumma parte ramoſos. FOLIA Abſinthii fere diviſura, verum ſegmenta in imis latiora, in ſummis longiora, & acutiora obtinent, ſuperne obſcurius viridia, glabra, inferne incana, qua nota ab Abſinthio facile diſcernitur. FLORUM corymbi circa ſummitatem caulis, & ramorum in racemulos quoſdam e foliorum alis egreſſos diſpoſiti, Abſinthinis crebriores, ſinguli tamen minores, e floſculis prupuraſcentibus compoſiti, non ut in Abſinthio, deorſum nutantes, odore aromatico & ſatis grato, minus quam Abſinthii vehementi, ad Lavendulæ odorem quadantenus accedente.

VARIETAS

Caulis, floreſque hujus plantæ interdum albeſcunt, unde *Artemiſia alba Tab.* & *Park.* J. Bauhinus merito credit, *quod Artemiſia vulgaris major Pin. Artemiſia vulgaris minor Pin. Artemiſia montana Pin.* ſint ejuſdem plantæ varietates.

LOCUS

Ubique provenit. Quaſcunque regiones peragraverim, inquit Cluſius, nulla fuit in qua Arte-

temiſiam hanc vulgarem, tum candidiorem, tum ſubpurpuraſcentem, univerſæ (ut puto) Europæ familiarem, creſcentem non viderim.

Chymicorum induſtria ex Artemiſia præter liquores multos acidos extrahit ſalem volatilem concretum, fixum lixivialem, multum ſulphuris & terræ. ANALYSIS CHYMICA

Ex his principiis omnibus habet planta hæc ut ſit valde aperiens, & opportuna ad catamenia, fœtum, & ſecundinas pellendas, ſordeſque abſtergendas: quare, ut ait Schroderus, uſus creberrimus eſt mulierculis adhibentibus eam interne & externe, adeo ut vix balnea & lotiones parent, quibus Artemiſia non contineatur. Ex planta hac præparatur extractum, conſerva, & ſerapium: quod Fernelius deſcripſit, nimis compoſitum eſt: melior & facilior compoſitio eſt, quam Lemery tradit. Folia & flores Artemiſiæ utiles ſunt adverſus vapores; ſumunturque eo modo quo Thèe. VIRES

Multa dicuntur de hujus plantæ præſtantia contra laſſitudinem. Plinius *lib. 26. cap. 15. Artemiſiam alligatam qui habeat viator, negatur laſſitudinem ſentire.* Jo. Bodæus *in Theophr. Hiſt.* hujus decoctum hominum ex itinere laſſorum pedes, ſi eo abluantur, adeo recreare diſerte affirmat, ut nihil in rerum natura reperiatur quod ei anteferendum. Hujus rei meminit etiam jam laudatus vetus Poeta in recenſendis viribus Artemiſiæ.

S 'APTE-

ἈΡΤΕΜΙΣΊΑ ΜΟΝΌΚΛΩΝΟΣ.

Ἀρτέμιδος βοτάνην τε συνώνυμον αἶρ' ἐπιφώσκειν
Ἠελίου μέλλοντος ἐπὶ χθόνα φέγγος ἐρυθρόν.
Ἥν τινα τοξῖτιν ἄνδρες ἐφήμισαν ἢ βοτρυΐτην,
Πασιθέην δ' ἕτεροι χαρίτων στέργηθρον ἔχουσαν.
Οἱ δ' ἕτεροι συτίκοπον, φιλοπάννυχον ἀγροιῶται,
Ἀθανάτην καλέουσι φυτὸν μέγα δῶρον ἔχοντες.
Λύει γὰρ κόπον ἀνδρὸς ὁδοιπόρου, ἣν χείρεσσι
Τὴν μονόκλωνον ἔχῃ, περὶ δ' αὖ ποσίν, ἑρπετὰ πάντα
Φεύγει, ἥν τις ἔχῃ ἐν ὁδῷ, καὶ φάσματα δεινά.
Αἷμα ἐπισκιῤῥωθὲν ἐπὴν ἄρθροισιν ἐλάσῃ
Κλῶνας ἑλών, μίξον ῥοδίνῳ, ζήσας δ' ἐνὶ χύτρῃ
Σύγχεε τὸν κάμνοντα ὅλον, μέλλοντα ὑπνώττειν,
Εὐθὺς ἀπαλλάξεις ἀλγήματος ἐκ μεγάλοιο.
Ὑστερικαῖς τε γυναιξὶν ἄγαν σωτήριόν ἐστι.
Στραγγουρίην τε παύει, ὀπισθοτόνοιό τε ῥῆγμα.
Πάντα δ' ἀεὶ νοσοεργὰ πάθη στέλλουσα διώκει.

Schol. Ἀρτεμισίαν βοτάνην εἴτις ἔχει ἐν ὁδῷ λύει τὸν κάματον, καὶ ἐν ποσὶν εἰλημμένη θυεία διώκει καὶ δαίμονας. Αἷμα δὲ ἐπὴν περὶ τὰ ἄρθρα σκιῤῥωθῇ, κλώνια λαβὼν μίξον μετὰ ῥοδίνου, καὶ ποιήσας ζέσαι εἰς χύτραν, σύγχεε τὸν πονοῦντα ὅλον, ὡς ὑπάγει κοιμᾶσθαι. Καὶ ὑστερικαῖς γυναιξὶ πάνυ βοηθεῖ. Στραγγουρίαν παύει, καὶ ὀπισθοτόνου ῥῆγμα.

ARTEMISIA MONOCLONOS

Dianæ herbam ab ea cognominatam tolle, quando oriens
Sol rubrum jubar mittit in terram:
Quam quidam toxitin recte nuncupant aut botryn,
Alii vero paſithεam Gratiarum amoris incentivum habentem:

Alii

Alii lyſicopin aut philopannychon, quomodo ruſtici eam vocant:
Immortalem vero plantam appellant magnum donum qui poſſident.
Solvit enim laſſitudinem viatoris, ſi in manibus
Monoclonon teneat: circum pedes omnia noxia reptilia
Fugat, ſi quæ fuerint in via, ut & horridos viſus.
Sanguinem artubus induratum agitabis,
Ramulos ſi ſumpſeris, roſaceoque miſcueris, ac in olla fervefeceris,
Eoque ægri totum corpus unxeris, quando it dormitum:
Et ſtatim magno dolore eum liberabis.
Mulieribus utero laborantibus valde ſalutare eſt:
Stillicidio urinæ laborantes ac opiſthotono levat:
Omnes tandem morbos dolores afferentes inhibet ac ſiſtit.

CLASSIS DECIMATERTIA DE HERBIS ET SUFFRUTICIBUS

Flore Semifloſculoſo.

FLOS SEMIFLOSCULOSUS componitur ex plurimis ſemifloſculis in orbem vel unicum, vel multiplicem poſitis, eodemque calyce, qui per maturitatem ſæpe invertitur, comprehenſis. Semifloſculi autem ſunt petala, inferna parte fiſtuloſa, media vero & ſuprema plana, ac velut in linguam producta, foliis intermediis nonnunquam ab invicem ſejuncta, inſidentque tenero fructui ſive embryoni, e quo prodit capillamentum bicorne ultra vaginam quinque fulcris innixam ſæpe protentum. Embryones autem fundum calycis occupant, quod thalamus vocatur, abeuntque in ſemen nunc pappis inſtructum, nunc papporum expers, modo coronatum, quandoque foliatum.

SE-

SECTIO I.

De Herbis flore ſemifloſculoſo, ſemine pappis inſtructo.

GENUS IV.

Sonchus lævis, laciniatus, latifolius. C.B.Pin.124. *Sonchus minus lacinioſus, mitis, ſive minus ſpinoſus. I. B. 2.* 1014. *Sonchus lævis Dod. Pempt. Lactuca leporina Apuleii. Endivia ſativa Lon: Andriala minor Lugd. Cicerbita, Lactucella quorundam.* ☿

Σόγχος dicitur quaſi σομφὸς ab inanitate caulium, vel παρὰ τὸ σῶον χέειν quod ſalubrem ſuccum fundat. Latini cicerbitam vocant, Apulejus lactucam leporariam.

Sonchus eſt plantæ genus flore ſemifloſculoſo, plurimis ſcilicet ſemifloſculis conſtante, embryoni inſidentibus, & calyce craſſo comprehenſis, qui per maturitatem conicus evadit. Embryo autem abit deinde in ſemen pappis inſtructum, thalamoque infixum. CHARACTER GENERICUS.

Parva, fibroſa, albaque RADICE nititur: CAULE cubitali, & ampliore, intus concavo, purpuraſcente. FOLIA longa, lævia, fere glauca, Dentis Leonis diviſura, latiora, teneriora, lacte prægnantia alternatim prodeunt, alias pediculo longo, alias nullo; ſed latiore baſi caulem amplectentia, DESCRIPTIO J. BAUHINI.

tia, in circuitu quaſi dentata, in quibus vel nullæ ſpinæ, vel molles. FLORES folioſi, lutei, Dentis Leonis minores (plures ſimul in ſummitatibus caulis, & ramulorum, dilutiores quam Dentis Leonis, aut Hieratii) quorum extima folia averſa parte purpuraſcunt, & in pappos abeunt. SEMEN parvum, oblongum, & in fuſco rubens. In hoc genere extremum folium latius eſt & triangulare, haſtæ cuſpidem referens.

LOCUS In cultis, hortis, vineis naſcitur, præſertim lætiore ſolo.

OBSERVATIO Tabernamontanus protulit valde bonam hujus plantæ figuram. Plerique Botanicorum non ſatis apposite diſtinxere Sonchi ſpecies.

CHYMICA ANALYSIS Sal ineſt quodammodo illi ſimile quod Angelus Sala vocavit *Oxyſal diaphoreticum*; at ſal hoc in multum phlegma ſolutum eſt & conjunctum cum multo ſulphure: ſal ammoniacum paucum admodum: Chymica enim non ſegregat niſi aliquid urinoſi ſpiritus, nihil vero ſalis concreti.

VIRES Itaque Sonchus moderatum laxans eſt: bibitur decoctio ad temperandum calorem ventris inferioris: decoctio hujuſmodi adjuvat humorum circulationem in parte hac, & occluſiones meatuum aperit. *Sonchus viridis, & tener*, inquit Galenus, *eſtur ut olus, præſertim ejus radices*. Plinius *cap. & lib.* 22. ait, *eſtur & Sonchus, ut quem Theſeo apud Callimachum apponit Hecale*.

CLAS-

CLASSIS DECIMAQUARTA
DE HERBIS ET SUFFRUTICIBUS

Flore Radiato.

FLOS RADIATUS duas partes habet, quarum media *Diſcus* appellatur, ex floſculis tota conſtans, altera vero quæ limbum occupat, *Corona* dicitur, ex ſemifloſculis, raro ex petalis planis confecta. Floſculi autem & ſemifloſculi embryonibus inſidere ſolent, & calyce comprehendi thalamo affixi. Embryones deinde abeunt in ſemina, modo pappis, modo capitulis foliatis inſtructa, nunc utriſque carentia, nunc quaſi marginata. Ex his alia foliolis quibuſdam ad perpendiculum poſitis inter ſe diſtinguuntur.

SE-

SECTIO I.

De Herbis flore radiato, ſemine pappis inſtructo.

GENUS I.

Aſter omnium maximus, Helenium dictus. *Helenium Vulgare C.P. Pin.* 276. *Helenium, ſive Enula campana I.B.* 3. 108. *Helenium Dod. Pempt.* 344. *Panax Chironium Theoph. Ang. Elenion Trag.* 170. ☼

ASter a voce Græca ἀστὴρ *Stella*, nam florem habet foliolis ſtellæ modo radiatis.

Hoc Helenium eſt, quod Latinis *Inula* dicitur ex Græco deſlexum. Nam prototypum in multis herbis nomen obtinuit, ut στρουθὸς, ἡμίονος, κήλινθον, & ſimilia: ita ergo & Ἑλένη: unde Latinum ex tranſpoſitione τοῦ ε in *u Enula* vel *Inula*. Sic ἔνελος antiquum Græcum, *Inulus*. Heſychius ἔνελος, νεβρός. Inter condimenta eſt apud Apicium. Horatio, & Columellæ *triſtes Inulæ*, quia amara earum radix. Horatius *lib.* II. *Satyr.* 8.

Erucas virides, enulas ego primus amaras
Monſtravi incoquere.

Columella *lib.* x.

Cappares & triſtes inulæ ferulæque minaces.

Inferior Latinitas Helenium, ſive Inulam, *alum* vel *alam* vocavit. Forte quaſi *balam* ab halando.

...*Ser-*

. . . . . . *Sertiſque recentibus halant.*
Macer in Herbario: *Enula, quam vulgus alam vocat, heleniumque dicitur a Medicis.* Marcellus Empiricus *cap.* XI. *Inulæ ruſticæ, quod alum vocant.*

Aſter eſt plantæ genus flore radiato: cujus ſcilicet diſcus ex plurimis floſculis, corona vero e ſemifloſculis componitur, embryonibus inſidentibus, & calyce ſquamoſo comprehenſis: embryones autem deinde abeunt in ſemina pappis inſtructa, thalamoque infixa. CHARACTER GENERICUS

FOLIA multa a radice exerit longa, lata, in terram reclinata, utraque extremitate acuta, ad tactum mollia, ſuperne pallide viridia, ſubtus incana, per ambitum crenata, brevibus pediculis hærentia: e quorum centro CAULES exſurgunt nunc unus, nunc plures, recti, caniculati, villoſi, ſubrubentes, ad trium & quatuor uſque cubitorum proceritatem, aliquot alis concavi, quibus folia aliquot nullis intervenientibus pediculis adnaſcuntur verbaſci latioris: FLORES colorati, ſed obſcure, Buphtalmi effigie, ſed multis numeris majores, aureo fulgore comantes, quibus ſquamoſum ſubeſt latius capitulum, SEMEN continens gracile & oblongum, pappo coronatum. RADIX notandæ craſſitiei, foris fuſca, intus alba, ſapore aromatico, acrimonia cum nonnullo amarore mixta, odore etiam, præſertim cum exiccata fuerit, ſuavi & grato, cum nulla præterea plantæ pars odorata ſit. DESCRIPTIO JOANNIS RAJI.

Occurrit in pratis & paſcuis præſertim humidioribus. Flores Junio ac Julio vigent. LOCUS

ANALYSIS CHYMICA

Radix ejus eſt acris, amara, aliquantum glutinis habens, aromatica. Chymici præter multos liquores acidos educunt multum olei, aliquid ſpiritus urinoſi, nihil ſalis volatilis concreti; ſed hoc educitur ex foliis.

VIRES

Helenii radix ſtomacho convenit, bechicha eſt, diuretica, menſtrua provocat: uſus ejus eſt in juſculis, & apozematibus contra aſthma, tuſſim inveteratam, hydropem, & cachexiam: radix recens ſaccharo conditur ad modum Zingiberis. Vinum ex Helenii radicibus paratum confirmat ſtomachum, icterum ſanat, diureſim adjuvat, & tuetur ab aere infecto. Extractum radicis hujus pollet virtutibus iiſdem: applicata exterius reſolvit; cutis eſt apta morbis, & ex ea præparatur unguentum *Enulatum*, in quo locum habet interdum Mercurius.

CLASSIS DECIMAQUINTA DE HERBIS ET SUFFRUTICIBUS

Flore Apetalo ſeu Stamineo.

FLOS APETALOS ſeu STAMINEUS & CAPILLACEUS petalis caret, totuſque ex ſtaminibus ſeu capillamentis conſtat: enim vero quæ petala dici poſſent, pro calyce habenda ſunt, cum abeant in ſeminis involucrum, ideoque neceſſum eſt ut eorum piſtillum ſemen evadat. Cum floribus ſtamineis nonnulli alii jungendi ejuſdem prorſus formæ, ſed a fructibus ſeparati.

SECTIO II.

De Herbis, flore ſtamineo, cujus piſtillum abit in ſemen calyce obvolutum.

GENUS II.

Lapathum folio acuto criſpo. C. B. Pin. 115. *Lapathum acutum criſpum J. B.* 2. 298. *Tabern. Icon.* 436. ☼

LApathum a voce Græca λαπάζω *purgo*. Suidas, λάπαθον· λάχανον γαςρὸς κενωτικὸν, *olus ventrem evacuans*. Theocriti Scholiaſtes *ad Eidyll.* 2. ἀλλάπαθα παῤ ἀττικοῖς τὰ κενώματα· καὶ λάπαθος βοτάνη τὶς κενωτική· λάπαθον vulgo *rumex* dicitur, & ſic doctiſſimus Gaza vertit: hoc liquet etiam ex Gloſſis tum Philoxeni, tum Cyrilli. Rumicem Romani hanc plantam vocarunt, quod ab ea ſuccus, non aliter quam a mamma, quam *rumen* teſte Varrone antiqui Latini dixerunt, ſitientibus exugi ſoleat. Lapathum Poeta Macer *paratellam* vocat.

Herba ſolet lapathi vulgo paratella vocari:
Illius ſpecies dicuntur quatuor eſſe;
Par tamen eſt ferme vis omnibus in medicina.

CHARACTER GENERICUS. Lapathum eſt plantæ genus flore apetalo, plurimis ſcilicet ſtaminibus conſtante, ex calyce hexaphyllo ſurgentibus. Piſtillum autem deinde abit in ſemen triangulare, capſula obvolutum. Hæc autem con-

conficitur ex tribus folis, ceteris tribus marceſcentibus. Ab Acetoſa ſolo ſapore differt: Lapathum enim expers eſt inſignis illius ſaporis acidi.

In Hiſtoria Univerſali præcedet deſcriptio *Lapathi ſylveſtris folio ſubrotundo. C. B. Pin.* (quemadmodum & apud Rajum) eſt enim illa adminiculum ad hujus deſcriptionem percipiendam. OBSERVATIO

RADICE cum *Lapatho ſylveſtri folio ſubrotundo* convenit, niſi quod minor huic eſt, uti ſunt & reliquæ ejus partes. FOLIIS differt anguſtioribus, longioribus, obſcurius virentibus, per margines criſpis, & ſinuatis, præſertim prope pediculos. FLOSCULI minores, longioribus tamen pedicellis penduli, verticillis crebrioribus, ut ſemina caulem plerunque penitus contegant, & occultent. Tria illa foliola, quæ conniventia ſemen amplectuntur & includunt, per margines æqualia ſunt, non ut præcedentis denticulata. SEMEN quam illius rubicundius ſeu caſtaneo colore intenſiore præditum, magnitudine æquale. DESCRIPTIO JOANNIS RAJI

Paſſim & copioſe provenit in locis incultis, hortorum areis, humidis præſertim & uliginoſis. LOCUS

Figura Tabernamontani multum placet. Moriſon *in Hiſt.* 578. confudit *lapathum folio acuto criſpo C.B.P.* cum *lapatho aquatico minore I.B.Hiſt.* 2. 987. neque advertit hanc ultimam ſpeciem eſſe *Puſillum fontilapatum & lapathiolum vocatum tenellum Adv.* Pena & Lobelius *Adver.* 117. affirmant plantam ſuam habere folia anguſtiora quam ſint Potamogetonis. J. Bauhinus refert deſcriptionem eorum, OBSERVATIO CRITICA

cujus

cujus extrema verba ſunt hæc: *folia anguſtiora multo quam Potamogetonis:* addit inde Penam, & Lobelium vocaviſſe *Puſillum fontilapathum & lapathiolum vocatum tenellum*. Moriſon contra ad *folia anguſtiora multo quam Potamogetonis*, adjicit, *Puſillum fontilapathum & lapathum tenellum vocatum* comparans plantam hanc cum ſeipſa. J. Bauhinus miſcuit *Fontilapathum Lobelii* cum *Hydrolapatho minore* ejuſdem Botanici: has duas plantas diſtinctiſſime Lobelius exhibet. *Icon.* 286.

VIRES Radix Lapathi valde amara eſt, habeturque inter ſtyptica, ingreditur in juſcula, & ptiſanas aperientes. Contuſa radix admovetur pedum ulceribus: uſus eſt ejus in unguento adverſus ſcabiem.

ERUDITIO Horatius *Epod. Od.* 11. hanc herbam reponit inter ἀπόειϛα, & dapes inemtas. Item Varro *hanc* inquit *eandem voluptatem tacitulus taxim conſequi lapathio, & ptiſana poſſim*. Frugalem lapathi herbam, ſquillis ac accipenſeri decumano P. Gallonii, hominis aſoti ac vere Epicuri de grege porci, præferebat C. Lælius ſapiens: quem C. Lucilius ſic loquentem inducit apud Ciceronem *lib.* 11. *de Finibus*.

O lapathe, ut jactere neceſſe eſt, cognitu' cui ſis.
In quo Læliu' clamores ſophos ille ſolebat
Edere, compellans gumias ex ordine noſtros.
Leliu' præclare, & recte ſophos, illeque vere:
O Publi, o gurges, Galloni: es homo miſer, inquit:
Cœnaſti in vita nunquam bene, cum omnia in iſta
Conſumis ſquilla, atque accipenſere cum decumano.

CLASSIS DECIMASEXTA

DE

HERBIS

ET

SUFFRUTICIBUS

Qui floribus carent, & ſemine donantur.

PLURIMIS Plantis natura flores negavit, ſeminaque tribuit quæ viſum pene fugiunt: quapropter earum notæ a foliorum forma peti debent. De his agemus in hac Claſſe, ne miſceantur cum nonnullis quarum flores & fructus deſiderantur.

SECTIO I.

De Herbis quæ floribus carent, & quarum fructus foliis inaſcuntur.

GENUS I.

Filix non ramoſa, dentata C. B. Pin. 358. *Filix vulgo mas dicta ſive non ramoſa. J. B.* 3. 737. *Filix mas Dod. Pempt.* 462. *Diopteris Matth. Lugd.* 1227. ☼

FIlix nomen habuit, ut aliqui putant, a foliis minutim fiſſis & diviſis. Sed Salmaſius & Voſſius credunt Filicis nomen derivatum a Græco πτέρις, eliſo ſcilicet τ, ut in *pinſo* a πτίσσω, π in *f* mutato, ut in *fido* a πιθῶ, *trophæum* a τρόπαιον, & ρ in λ ut in *paulum* a παῦρον, *lilium* a λείριον, & in aliis ſimiliter. In libris antiquis ſcribitur etiam *Felix*. Veteres dicebant *felicata opera*, *felico*. Græcis porro πτέρις eſt a πτέρυξ ſive πτερὸν *ala*, quia ejus folia alas avium quodammodo referunt: pennatus enim & pennatis foliis frutex eſt filix. Plinius *lib.* 27. *cap.* 9. *Folia habet lateribus pennata, unde nomen Græci impoſuere*. Ob id Columella *lib.* 6. *de Re Ruſt.* eam *aviam* vocat. *Si in opere collum contuſum erit, præſentiſſimum eſt remedium ſanguis de aure emiſſus, aut ſi id factum non erit, herba quæ vocatur avia cum ſale trita & impoſita*. Reperio etiam Græcos hanc ap-

appellaſſe βλῆχνον. Dioſcorides *lib.* 4. *cap.* 180. Πτέρις, οἱ δὲ βλῆχνον, οἱ δὲ πολύῤῥιζον καλοῦσι. Plinius *lib.* 27. *cap.* 9. *Pterin Græci vocant, alii blechnon*: pro βλῆχνον apud Nicandrum *lib. de Ther.* legitur βλῆτρον hoc verſiculo.

Ἐν δὲ πολυσχιδέος βλήτρου πυρὶ βάλλεο χαίτην (χαίτην Ald. Cod.).

Multifidæve comas filicis accendere flamma.

Scholiaſtes ad hunc locum eam vocat βλάχνον. Cur dicta ſit βλῆτρον, βλάχνον, βλῆχνον, ignorant docti viri. A Græco Poeta ἁπαλὴ dicitur, quod paſtoribus cubilia & tomenta per hyemem ſicca largiatur. Theocrit. *Eidyl.* 5.

Αἰ δέ κε τὺ μόλῃς, ἁπαλὰν πτέριν ὧδε πατήσεις.

Si autem tu veneris teneram filicem calcabis.

Agricolis tamen inviſa planta eſt, quia ſuis longis & obliquis radicibus per agros longe lateque diffunditur difficillimeque extirpatur. *Virgil. lib.* 2. *Georg.*

Et filicem curvis inviſam paſcit aratris.

Filix eſt plantæ genus, cujus folia ex aliis foliis componuntur coſtæ utrinque adhæreſcentibus, in pinnulas ſeu foliola ad nervum plerunque ſectis. His notis addenda facies quædam propria. CHARACTER GENERICUS

Menſe Aprili, autore Trago, multos promit aſparagos primo exortu inflexos (ut in aliis Filicibus fere fit) cano capillitio obductos; atque ii progreſſu temporis abeunt in FOLIA ampla, bicubitalia, crebra, recta, frangi facilia, diluto colore rubentia, ferruginea lanugine averſa parte hir- DESCRIPTIO J. BAUHINI

V ſuta,

ſuta , alis ſeu tarſis ex quibus componuntur mediæ coſtæ alternatim adnaſcentibus , non conjugatim , in pinnulas ſeu criſtas latas, & lata baſi nervo tarſi medio adnaſcentes, obtuſas , circa margines dentatas diviſis . Linea nigra nervum uniuſcujuſque alæ medium ſuperne producta notat. Singulæ pinnæ ſupina parte venulis inſignes ſunt , prona duplici ordine punctorum ferrugineorum.

LOCUS In ſepium aggeribus præſertim umbroſis naſci amat .

OBSERVATIONES *Filix non ramoſa, latifolia, dentata* apud Tournefortium *Inſtit. Rei Herb.* Apparet hujus varietas , quam non male exhibet figura *Dryopteris Camer. Epit.* 944. pinnulæ ejus breviores altitudine ſunt, latiores tamen.

In adverſa parte foliorum Filicis , inquit Cæſalpinus *lib.* 16. *cap.* 2. , furfuracea quædam lanugo eſt, copioſior in tenellis nuper erumpentibus e terra: nam procedente tempore decidit , renaſcique compertum eſt ex ea lanugine : nam projectis Filicibus ubi antea non fuerint , oritur copioſe . Notandum tamen eſt lanuginem furfuraceam, ſubjungit Tournefortius, de qua loquitur Cæſalpinus, quæque in tenellis Filicibus nuper e terra erumpentibus conſpicitur , ab earum ſemine differre.

Filix & capillares herbæ reliquæ carent ſemine, ſi veteres pleroſque Botanicos Medicoſque Scriptores audimus , Theophraſtum , Dioſcoridem , Plinium, Galenum , & hos ſecutos ex recentioribus Dodonæum, Spigelium in *Iſagoge ad Rem Herbariam,*

& De-

& Delechampium. Utuntur autem ratione non ſane improbanda. Cum enim genus hoc herbæ ſit deſtitutum caulibus quibus ut plurimum fructus & ſemina innaſci ſolent, veriſimillimum & alterum eſt, deſtituta ſimul etiam ſemine eſſe: quod cum nemo acutiſſima licet oculorum acie diſcernere & noſcitare in plantis hujuſmodi potuerit unquam, profecto melius negaveris ineſſe omnino ſemina ulla, quam confinxeris ita exigua ut obtutum effugiant, præſertim in tam excellenti plantarum magnitudine. Alii contra, quos inter Bauhinus uterque, Jonſonus apud Gerardum, Tragus, ParKinſonus *in Theatr. Botan.* Fabius Columna, qui ad ceteram ſummam Familiæ gloriam addidit laudem abſolutiſſimam Scientiæ Herbariæ, Botanicus egregius vereque Linceus *Annot. ad Res Medicas N. Hiſp. Ant. Reccb.* contendunt Filices & congeneres, eſſe ſpermatophoras ſive ſemine præditas; colligentes tum ex Geneſeos 11. 2. 12. ubi generi herbarum omni videtur eſſe vis indita ſementandi ab rerum Conditore ſupremo: tum inde arguentes, quod non probabile ſit Plantas ita proceritate & ſtatura perfectas, quales nonnullæ Filices ſunt, ab aliarum norma & proprietate aberrare: tum demum quia videre non raro contingat Filicibus jam adultis & antiquioribs adnaſci & ſuboleſcere tenellas recentioreſque plantulas; quæ non aliunde ſane quam ex deciduo ſemine videntur ortuque nativo germinari. Affirmant autem ſemina averſæ foliorum parti accreſcere concludique punctis illis ſive lineolis pul-

verulentis & ferrugineis, quæ cernuntur ibidem. Hoc eſſe veriſſimum non argumenta modo allata ſed etiam αὐτοψία convincit ipſa. Federicus enim Ceſius Lynceorum olim princeps, notante Fabio Columna, microſcopio detexit & aperte demonſtravit Plantarum ejuſmodi ſemina, quæ nuperrime alii multi microſcopiis longe exquiſitius laboratis deprehendere ac deſcripſere: Filicum ſemina inſpicienti & examinanti microſcopio primæ notæ, apparere viciæ exiguæ aut lentis magnitudinem exequantia; nonnulla per ſiccitatem contracta & corrugata valleculis depreſſioribus & tuberculis ſeu eminentiis inæqualia ad modum Piſorum cerni.

At nec herbæ ipſæ capillares flore omnino carent. Nam & Rivinus floſculos granulatos illis attribuit colore luteo inſignes: & in deſcriptione *Filicis arboreſcentis* P. Plumier ait, Tubercula (de *Seminalibus* loquitur) antequam in pulviſculum abirent, præcedere viſi ſunt floſculi minimi caneſcentes, monopetali, calycis exigui hemiſphœrici in modum excavati, filamentis bene multis minimis caneſcentibus repleti.

VIRES Uſus eſt plantæ totius in Medicina, maxime vero radicis: folia vicem capillarium ſubire poſſunt in morbis pectoris, & ſyrupus inde confici. Utile apozema ex radicibus eſt in emphraxi hypogaſtrii. Aqua ex Filicis radicibus deſtillata idonea creditur vermibus interimendis: ſpecificum medicamentum eſt in morbo hoc: efficit idem radix: pellit urinas & obſtructiones jecoris recludit. Simon Pauli labo-

ran-

rantibus ex vermibus præbebat uſque ad ſemunciam pulverem hunc in aqua ſalita. Sennertus & Foreſtus commendant decoctum Filicis in ſplenis tumoribus. Notiſſimum eſt Sal Filicis adhiberi ad conficiendum vitrum. Referente Rajo, hæc planta peculiariter rachitidi confert.

Radix hujus generis Mulieribus inimica cenſetur: ſterilitatem enim facit, conceptionem impedit, abortus cauſa eſt, quemadmodum & Filicis fœminæ. *Theoph. Dioſcor. Plin.* Quæ veteres tradidere de antipathia inter Arundinem & Filicem, pro fabuloſis habemus & habenda putamus.

CLAS-

CLASSIS DECIMASEPTIMA.

OBSERVATIO

TOurnefortius Claſſem hanc inſcribit DE HERBIS ET SUFFRUTICIBUS *quorum flores, & fructus vulgo deſiderantur*: qua præter alias multas Plantas terreſtres complectitur plantas marinas. Uſque ad ætatem ejus non fuerunt obſervati flores in harum ulla; quare non refert temere in Claſſem hanc. At ſi hodie ille viveret, profecto admiraretur Recentiorum diligentiam, qui in aliquibus plantis marinis & flores & ſemina detexerunt. Primus Comes Marſilius ſolerter examinatis plantis mediterranei obſervavit in non paucis earum flores & ſemina; ut videre eſt in Hiſt. Reg. Scient. Acad. *ad ann.* 1710. *pag.* 91. *Edit. Amſtel.* Ex hoc anſam habuit Reaumur obſervandi plantas Oceani, & facile invenit flores & ſemina in *Fuco* ſive *Alga marina latifolia dentata Raji*. Hic nonnihil animadvertenda obſervatorum incuria, quos latuere flores & ſemina in plantis Oceani: ſunt enim multa oculis expoſita, & intuentibus facile apparent tempeſtate quavis. Flores & ſemina *Fuci* deſcribit Reaumur *in Memoriis Acad. Reg. Scient. ad ann.* 1711. *p.* 371. Detectio hæc ſpem facit aliarum multarum ex ſtudio, acumine, & perſpicatia Neotericorum; unica interdum obſer-

va-

vatio eſt via ad plures alias infinitas: exempla innumera poſſent afferri ſi locus hic eſſet. Ubi cogniti erunt flores & ſemina in pleriſque Plantarum marinarum, deſignari poterunt methodo fere eadem, quam Tournefortius tam utiliter adhibuit in plantis terreſtribus.

Fucus, ſive Alga latifolia, major dentata Raji Synopſ. 3. & Hiſt. Ap. *Moriſ. Hiſt. Oxon. part.* 3. *ſect.* 15. *tab.* 9. *Fig.* 1.

QUid Fucus ſignificet, bene explicat Voſſius in *Etymologico*, ejuſque verbis nihil addendum putamus. Fucus propria & primaria ſua ſignificatione herbam marinam denotat, cujus ad tingendum uſus eſt. Quod & Servius teſtatur cum ajt: *Fucus herbæ genus qua veſtes tinguntur*: Acro quoque *in* 2. *Sat. lib.* 2. cum ſcribit, Fucum eſſe genus herbæ marinæ unde lana inficitur, & adfert illud Horatii ex *Od.* 5. *lib.* 3.

. . . . Neque amiſſos colores
Lana refert medicata fuco.

Hinc & pro colore ipſo accipitur & generatim pro quavis tinctura. A Botanicis autem extenditur ad omne genus Algæ marinæ ſignificandum, quanvis ad tingendum utilis non ſit, ob ſimilitudinem nimirum & convenientiam in notis genericis. Licet autem Plinius neget Linguam Latinam habere nomen quo Græcum φῦκος exprimat (itaque etſi ipſe Algam maris vocat, nihilominus exiſtimavit

non

non ſatis eſſe nomen accommodum) nihil tamen cauſæ eſt cur putemus non poſſe transferri *Fucum*. Nam & ipſe Plinius *lib.* 25. *cap.* 10. ait *Phycos thalaſſion*, ideſt, *Fucus marinus*: & ratio favet: φύκει enim uſæ mulieres ad conciliandum ori ruborem, ut Lucianus *in Amoribus*, aliique plurimi Autores tradunt. At Latinorum fucus ad eundem uſum adhibebatur, ut unicuique notum: & Plinius *capite ante citato* ſcribit, φύκει *circa Cretam nato in petris purpuras quoque inficiunt*. Unde cognoſcitur quis color fuerit fuci, nempe rutilans, & quodammodo puniceus.

DESCRIPTIO *Ex Hiſt. Reg. Scient. Acad.* 1711.

Planta hæc, ut ferme omnes marinæ plantæ, radicibus caret, neque, ſi ita velis, aliud eſt quidquam niſi magnum FOLIUM, quod in multa alia ſubdividitur poſita omnia in plano eodem. FLORES ejus ſurgunt æqualiter ex parte utraque folii cujuslibet: filis conſtant innumeris, tenuiſſimis ac breviſſimis, tanquam in floccum coaleſcentibus. Menſe Junio & pene Julio toto eſt planta hæc floribus undequaque adoperta. In aqua flores pene viridantes ſunt ut folium ipſum; at extra aquam & jam ſicci, albi ſunt & facile diſcernuntur. (Advertendum eſt, ſupra nervum, quo folia in duas partes dirimuntur, nullum florem naſci) Ubi prope eſt ut hi flores decidant, folia inſigniter craſſeſcunt in extremitatibus, poſtquam autem decidere, cernuntur in planta exigua foramina & loculamenta, quibus tanquam calycibus peduſculi florum concludebantur. Aperientibus extremitates foliorum craſſas

pa-

patet cauſam eſſe denſitatis & tumoris materiam quandam viſcidam & tranſlucidam. In liquore hoc inſunt GRANA plurima rotunda : ſingula tamen ſpeciem habent tubi breviſſimi, qui inſertus eſt ſingulis folii foraminibus. Grana hæc nondum ſunt ſemina Fuci, ſed capſulæ ſunt plenæ liquoris multum primo ſimilis; in quibus latent grana parviora alia, quæ tandem SEMINA ſunt. Ita in planta hac marina perfecte obſervata eſt œconomia ſive diſpoſitio quæ in pleriſque plantis terreſtribus : fructus naſcitur ſub flore, quem apparet non naſci ad aliud quam ad illum nutriendum; tener quippe & mollis eſt. Ea foliorum pars quæ tumida non eſt, ſteriles ſolum flores habet: nam, ut cenſet Reaumur, denſa textura ejus eſt, neque meatus ſatis liberi ſunt, neque ſatis aperti, ut alimentum fructui neceſſarium trajiciant.

CLASSIS DECIMAOCTAVA DE ARBORIBUS ET FRUTICIBUS

Flore Apetalo.

SECTIO III.

De Arboribus, & Fruticibus flore apetalo, quorum alii in eodem genere floribus, alii vero fructibus plerunque donantur.

GENUS II.

Lentiſcus vulgaris C. B. Pin. 399. *Lentiſcus I.B.* 1. 285. *Dod. Pempt.* 871.

INcerta eſt ratio nominis Lentiſci. Alii appellatum ſic volunt a foliorum pinguedine lentoreque, quem habent cum tanguntur. Alii Lentiſcum deducunt a verbo *lenteo*, quaſi lentus fio, propter ejus virgultorum lentitudinem; vel potius quod

ipſa

ipſa lenteſcat arbor dum reſinam fundit: ſic Voſſius.

Græcis σχῖνος dicitur παρὰ τὸ σχίζεσθαι, quod ejus σχίδαξι, ideſt ſegmentis, ſolerent uti ad dentiſcalpia; ut docet Dioſcorides *lib.* 1. *cap.* 89. τὰ δὲ ξυλάρια χλωρὰ ἀντὶ καλαμίδων παρατριβόμενα τοῖς ὀδοῦσι, σμήχει τούτους. Aliis σχῖνος vocatur, quod ex ea arandi tempora ruſtici cognoſcebant: σχίζειν enim Græci de prima vernaque aratione dicunt. Proclus δηλοῖ τὸ σχίζειν αὐτὴν. Item in *Epigram.*

- - - - - Γαῖαν σχίζοντες ἀρότροις.

Non ignorandum, Atticorum propriam dictionem eſſe σχῖνος pro *Scilla*, quæ & ceteris Græcis lentiſcum tantum ſignificavit. Galenus in *Lexico* σχῖνον οὐ μόνον τὸ θαμνῶδες φυτὸν, ἀλλὰ καὶ εἶδός τι σκίλλης, εἰ μὴ ἄρα καὶ πάσης σκίλλης τὸν βολβόν. (Vox πολύσημος multos in hallucinationem induxit credentes Scillam ad dentifricia uſum habuiſſe: quos inter Favorinus: σχῖνον τὴν σκίλλαν, ἣν διαμασῶνται οἱ καλλωπιζόμενοι ἕνεκα τοῦ λευκοῦν τοὺς ὀδόντας, ideſt σχῖνον *Scillam, quam maſticant illi, qui ſtudioſe operam dant dentium cultui, ut eos albos reddant*) Maſtiche etiam dicitur ἀπὸ τοῦ μασᾶσθαι *a maſticando*: nam & hodie in maſticatoriis uſurpata eſt.

Lentiſcus eſt plantæ genus a Terebintho diverſum foliis quæ per conjugationes quidem coſtæ affiguntur, ſed nullo plerunque impari claudente.

Multis fruticat Lentiſcus ſtolonibus, mediocriter craſſis, flexilibus ramis brachiatis, cinereo cortice obductis. Interdum in juſtæ magnitudinis ar- DESCRIPTIO J. BAUHINI

borem excreſcit, ut obſervavit Cluſius. FOLIA minora quam Piſtaciorum, aut Terebinthi, Glycyrrhizæ foliis paria, ſed Buxeorum ſoliditate ex viridi nonnihil rubentia conjugatim ſine ullo impari ad coſtam canaliculatam rubeſcentem annexa, in ſpinulam plerunque deſinentia, inque eandem fere partem vergentia, perpetua, jucundi cum quadam gravitate odoris, ſapore acidiuſculo & adſtringente: iis interdum folliculi vel veſiculæ quædam adnaſcuntur, culicibus exiguis referti, haud ſecus quam in Terebinthinis, aut Ulmeis. Ad alæ imum exoriuntur FLOSCULI, veluti racemuli rubentes, vel colore ex herbaceo palleſcentes, nonnihil purpuraſcentes, qui in fructus abeunt, dimidio fere Piſis minores, in ſtylum minutum deſinentes, rotundos, rubentes, & per maturitatem nigricantes, acidos, nucleum continentes parvulum durum, nigrum, medulla intus alba. Fructum Cæſalpinus oleaginoſum dicit, nucleum viridem.

Floret Lentiſcus magna ex parte Aprili vel
OBSERVATIO Martio. Fructus Octobr. & Novembr. primum matureſcit rubens, rotundus, acidus. Ter autem fructum ferre tradunt, forte quod tribus diſtinctis temporibus eundem perficiat: de qua re ſic ſcribit Conſtant. *in Geopon.* ἡ δὲ σχῖνος τρεῖς καρποὺς φέρει; καὶ εἰ μὲν ὁ πρῶτος καρπὸς καλῶς καρποφορεῖν σημαίνει· ὁμοίως δὲ ἐπὶ τῶν ἄλλων. Cicero ex Arato.

Jam vero ſemper viridis ſemperque gravata
Lentiſcus, triplici ſolita eſt grandeſcere fœtu,
Ter fruges fundens, tria tempora monſtrat arandi.

Per-

Perperam nonnulli Ciceronem inſcitiæ accuſant quod χῖνον *Lentiſcum* tranſtulerit, quod vox χῖνος apud Theophraſtum antiquioreſque Græcos *Scillam* ſignificet: nam Aratus utramque deſtincte nominat.

Ὅσσα δ' ἐπὶ σχίνῳ ἀφετὴρ ἐπιφράσσατο καρπῷ,
Τόσσα καὶ ἐν σκίλλης τεκμαίρεται ἄνθεϊ λευκῷ.
Lentiſci in fructu quod ſervat ruſticus, albo
In flore & ſcillæ ſervandum exiſtimat idem.

Provenit Lentiſcus in univerſa fere Hiſpania, & Apulia, in Creta, in montibus circa Hieruſalem, in inſula Chio, teſte Bellonio. In Italia frequentiſſima, inquit Matthiolus, præſertim in Hetruria maritimis Senenſibus: in collapſis Romanorum ædificiis ac ruderibus. Quin etiam in tractu Tyrrheni, ubique copioſa oritur, in Campania maxime, & multis aliis locis: amat humida loca, & plantatur a Cal. Januar. authore Conſtant. *in Geopon.* OBSERVATIO

Bellonio autore, in ſola inſula Chio reſinam fundit *Maſtichen* dictam. Alii in Italia quoque Maſtichen fundere, ſed non copioſam tradunt, ut Matthiolus, Cæſalpinus, & Lacuna. Matthiolus vero ſibi ipſi non conſtat: nam in Hiſt. German. ait in ſola inſula Chio Maſtichen præferre. Celeb. Thevenot *Peregrinat. part.* 1. *pag.* 95. narrat Lentiſcos in inſula Chio tortuoſas eſſe vitium inſtar, & humi provolvi perque terram repere. Reptantes haſce arbores menſibus Auguſto & Septembri compungunt, eque foraminibus in cortice factis Maſtiche exſudat, & in terram defluit, ubi in fruſtula OBSERVATIO

ſtula plana indureſcit. Hæc indigenæ colligunt, & in cribro ad id comparato agitant ut pulvis ſeparetur, qui operariorum faciei adeo pertinaciter adhæret, ut abſque oleo elui nequeat. Viginti duo in Inſula pagi ſunt, quorum agri Lentiſcis conſiti, ut numerus arborum per omnes ſimul cultarum ſit circiter 100000: pro quibus annuatim Turcarum Imperatori pendunt 300. Maſtiches ciſtas, quæ ſimul efficiunt 27000. *Oguas*, ſingulis ciſtis nonaginta *Oguis* attributis; *Ogua* autem unica 400. drachmas continet. Galenus ad Glauconem *lib.*2. Ægyptiacam Maſtichem commendat.

VIRES Reſina hæc inter maſticatoria uſitata paſſim eſt ad largius ſalivam excitandam maxillarum motu. Sinæ tam viri quam fœminæ & pueri Maſtichen fere ſemper in ore habent, ad roborandos dentes & gingivas, tum ad oris halitum emendandum. Præter virtutem hanc Maſtiche inter aſtringentia habetur valde efficax: ſiſtit vomitum, fluxum ventris, & ptyſma ſanguinis: abortum etiam impedit: fibris ſtomachi relaxatis opitulatur: quindecim aut viginti grana triturata in pulverem doſis eſt.

ERUDITIO Scriptor Hiſtoriæ Suſannæ narrat Danielem arguiſse falſi Senes iniquos judices Suſannæ, cum primus aſſeruiſſet a ſe deprehenſam, dum rem turpem faceret, ſub Schino, ideſt *Lentiſco*, alter vero, ſub Prino, ideſt *Ilice*. Quare Daniel alludens ad etymon Schini τῦ χίνυ a χίζω *ſcindo, ſeco*, & τῦ πείνυ a πείθω *ſerra ſeco, divido*, dixit primo: *Angelus Dei ſcindet te medium*: ſecundo dixit: *manet Angelus Domini, ut ſecet te medium*.

Len-

Lentiſcum mandere, χῖνον διατρώγειν, Græco proverbio dicuntur ii, qui nimio comendi corporis ſtudio ſuperfluunt, appellati χινοτρῶγες ſeu χινοτρῶκται *lentiſci arroſores*. Ex lentiſco dentifricium fieri conſuevit. Suidas: χῖνον διατρώγειν ἐπὶ τῶν καλλωπιζομένων καὶ λευκαινόντων τοὺς ὀδόντας. ὅθεν καὶ χινοτρὼξ λέγεται ὁ τοιοῦτος. ἐπὶ τῶν καλλωπιζομένων· διὰ γὰρ τὸ λευκαίνειν τοὺς ὀδόντας, ἤσθιον χῖνον, καὶ χινέλαιον. *Lentiſcum arrodere, de iis qui accurate fucabant ac dealbabant dentes; unde χινοτρὼξ vocabatur. Sic dicebatur qui ſtudioſe ornabat dentes, quod propter nitorem, & albedinem dentium edebat lentiſcum, & lentiſcinum oleum* (melius alii vertunt *Maſtichen*) Maſtichen χινέλαιον vocavit Suidas, quia pinguem & reſina abundantem inſtar olei. Dentium cura olim ut delicatis probro dabatur: & Apulejo inter reliqua crimina objectum eſt, quod dentifricum paraſſet.

In Virginum coronamentis lentiſci uſus fuit. Callimachus ubi de ſacro Dictynnæ *Hymno in Dian.* 21.

- - - - τὸ δὲ ϛέφος ἤματι κείνῳ
Ἠ πίτυς, ἢ χῖνος.

- - - - *Sertum vero feſti diei illius*
Pinus, aut Lentiſcus.

CLAS-

CLASSIS DECIMANONA
DE ARBORIBUS ET FRUTICIBUS
Flore Amentaceo.

FLOS AMENTACEUS ſeu JULUS nunc ſtaminibus aut apicibus, nunc foliolis quibuſdam componitur, axi cuidam affixis amenti ſeu lori (unde Latinis flos amentaceus) vel caudæ felinæ forma: Julus autem ſemper a fructu ſeparatur, vel in eadem arbore, vel in diverſis arboribus ejuſdem generis.

SE-

SECTIO II.

De Arboribus, & Fruticibus flore amentaceo, in eadem arbore plerunque ſeparato a fructu cujus involucrum coriaceum eſt.

GENUS I.

Quercus latifolia, mas, quæ brevi pediculo eſt. C. B. Pin. 419. *Quercus vulgaris brevibus pediculis. I. B. 1. 70. Platiphyllos mas Lugd. 2.*

VOſſius Quercum dictam putat a καρχαλέος, quod valet, *durus*, *aſper*: eſt enim ligni duri, & corticis aſperi.

Δρῦς Græcis (verba ſunt Cl. Jov. Raii) generale nomen eſt, omnes arbores glandiferas complectens, quas una voce comprehendi poſſe Latino ſermone, negat Plinius. Quercus enim inter δρυὸς differentias ab eodem recenſetur. Verum quoniam Quercus nomen a vulgo extenditur ad omnes glandiferarum ſpecies ſignificandas, nos non inviti cum J. Bauhino (ne quid novi ſapere velle videamur) Quercum loco genericæ vocis uſurpabimus. Hactenus Rajus.

Hodie diſceptant inter ſe eruditi de Quercuum generibus variis. Breviter id nos attingimus. *Robur*, Theoprafto δρῦς ἀγρία eſt. *Quercus*, φηγὸς Theophraſto. *Fagus* Latinorum, Theophraſto αἰγίλωψ.

Eſculus, Theophraſto ἡ ἡμερίς. *Cerrus*, ὀξύη. Hæc nomina in Hiſtoria Univerſali idoneis argumentis vindicabimus.

CHARACTER GENERICUS

Quercus eſt plantæ genus flore amentaceo, plurimis ſcilicet apicibus conſtante, tenui capillamento, denſo agmine affixis: embryones autem in eadem arbore a floribus ſeparati naſcuntur, abeuntque deinde in glandem cupula munitam, nucleo fœtam in duas partes fiſſili. His notis addenda ſunt folia ſinuoſa.

DESCRIPTIO J. BAUHINI

Vix ulli genti Europææ incognitam putamus Quercum vulgarem, recto, craſſiſſimo, vaſto, ac valido CAUDICE, nec minus firma materie; craſſo, intus rufo, rimoſo, ſcabroque cortice (in caudice, & ramis majoribus, nam in ſurculis, & ramis minoribus lævis eſt, & nigricans, aut cinereus) brachiis longe lateque luxuriantibus magnam innoxiamque umbram loco inducentibus: FOLIIS longis, ſumma parte obtuſis, ad latera profundis anfractibus, & crebris ſinuatis, præſertim in vetuſtiore arbore, minus in ea quæ cæſa novam frondem emittit, glabris, nitidis, obſcure virentibus, pediculis brevibus nixis, coſta media utrinque elata, & eminente, ſed magis averſa parte, ſingulatim naſcentibus. In hac arbore nucamenta ſeu JULI obſervantur, in quadrantalibus tenuibus pediculis ex certis intervallis muſcoſi, ex apiculis ſeſſilibus herbidis, eodem puncto pluribus exortis compoſiti, ſic ut interdum verticillatim ligulam, cui adhærent, coronent. Obſervantur quoque & glandium ru-

rudimenta, tanquam globuli minimi purpurantes, & hirſuti privatis pediculis inſidentia. GLANDES in calycibus ſuis ſeu CUPULIS ſeſſiles, vel ſurculo proxime adhærent, vel longis tenuibuſque pediculis appenduntur. Atque etiamſi magnitudine varient, unciam tamen communiter longæ ſunt, corticoſa membrana tectæ punicea (potius leucophæa ſeu Bætica) nucleo calloſo, acerbo, & auſtero, quemadmodum & cupula exterius aſperiuſcula, interius lævis, prædicto cortice multo denſior, vix tertiam glandis partem capiens. Aculeus in ſummo glandis faſtigio eminet, brevior, & minus pungens. Sæpe ternæ glandes ſimul cohærent, aut binæ, raro unica prodit: pediculus eas ſuſtinens inde naſcitur ubi ramo folium adhæret.

Difficile eſt decernere in genere hoc, an differentiæ, quæ inveniuntur, variæ ſint pro ejuſdem fructus diverſitate. Ad id ſtatuendum neceſſe eſſet fructus colligere arborum harum, & ſeparatim illos ſeminare in locis diviſis, & advertere multos poſt annos, utrum ſpecies eaſdem, an differentes perpetuo produxerint. Ceterum non video poſſe oſtendi varietatem quatuor ſpecierum, quas C. Bauhinus memorat, præſertim vero tertiæ, & quartæ: ſunt autem 1. *Quercus latifolia mas, quæ brevi eſt pediculo*. 2. *Quercus latifolia fœmina ideſt platyphyllos fœmina*. 3. *Quercus latifolia perpetuo virens*. 4. *Quercus cum longo pediculo*. OBSERVATIO

Humor dulcis & melleus quo folia Quercuum ſæpe madent & quem apes ſtudioſe exſugunt,

non, ut putatur, depluit e cœlo ſed ſuccus quidam redundans eſt, per plantas illas diffuſus.

ANALYSIS CHYMICA

Chymica reſolutio præter multos liquores acidos excernit ex Quercus foliis aliquid ſpiritus urinoſi, & ſalis volatilis concreti, affatim olei & terræ.

VIRES

Cortex, membranacea tunica quæ corticem & caudicem ipſum interjacet, glandes, gallæ (Græcis κηκῖδες dictæ) uſum habent in medicina. Omnes hæ partes ſtypticæ ſunt: fluxum alvi retardant: hæmorrhagias & evacuationes alias immoderatas imminuunt. Inſuper cortex & membranacea tunica quæ corticem & caudicem interjacet, ac folia in apozemate, plurimum conferunt in morbis hujuſmodi, in dyſenteria, ſanguinis ptyalo, & fluore uterino. Ut verbo dicam: Quercus partes omnes, cortex, folia, cupulæ, glandes, ac etiam lignum ipſum ad fluxum omnem alvi, uteri, ſeminis, ſanguinis ſiſtendum utiles ſunt, & ad omnia in quibus adſtrictione opus eſt. Dioſcorides & Galenus notant in Quercu adſtringendi virtutem, & præterea credebant vim habere alexiteriam: contra venenum enim dabant bibendum lac vaccinum, in quo glandis cortex ebulliſſet: utebantur glande contuſa etiam ad ſolvenda œdemata pertinacia, & ulcera exiccanda.

Gallæ ſeu Gallarum nuces ſunt excreſcentiæ erumpentes ſub foliis Quercus a noſtra diverſæ, quæ ad orientem naſcitur circa Hierapolim, & Tripolim. Ad hæc uſque tempora nux Gallæ uſitata tan-

tum

tum ad tincturas, & atramentum conficiendum. At Reneaume medicus in Facultate Pariſienſi, & Regiæ Academiæ Scientiarum ſocius, detexit in Gallæ nuce novum febrifugum, haud certe temnendum: ut videre eſt in Hiſt. Reg. Scient. Acad. *ad ann.* 1710. *p.* 48. *edit. Amſtel.* Quia vero remedium hujuſmodi convenit ſolum febribus certæ determinatæque naturæ, a cauſa particulari ortum habentibus; ego non exponam, quomodo & ubi utendum: non enim patitur Specimen hoc me fuſe agere de morbo qui Diſſertationem amplam poſtularet. Satis ergo putem virtutem commemoraſſe, qua nux Gallæ prædita eſt: tempus autem quod omnia perficit, utilitates patefaciet quæ ex virtute cognita percipi poſſunt.

Quercus ſacra Baccho eſt & Cereri: hoc abunde conſtat ex multis Scriptoribus. In Cerealibus quercu coronabantur ob beneficii ab illa Dea accepti ſempiternam memoriam. *Virg. lib.* 1. *Georg.* ERUDITIO

. . . . . neque ante
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quam Cereri torta redimitus tempora quercu
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

Etiam Rheæ ſacrata fuit: teſtis eſt Apollodorus *lib.* 3. *de Diis*, quem citat Scholiaſtes Apollonii Rhodii. Dea enim hæc partita fuit hanc arborem; eamque fecit utilem ad tecta & ad alimentum. Hac de cauſa dixit Apollonius Argonautas in monte Adreſte, qui apud Boſphorum eſt, Deæ huic aram poſuiſſe, eique ſacrum feciſſe coronatos foliis quer-

neis.

neis. Apollonii carmina ſunt *Argonaut. lib.* 1.

Βωμὸν δ' αὖ χεράδος παρενήνεον· ἀμφὶ δὲ φύλλοις.
Στεψάμενοι δρυΐνοισι θυηπολίης ἐμέλοντο.
Μητέρα Δινδυμίην πολυπότνιαν ἐγκαλέοντες,
Ἐνναέτιν φρυγίης, τιτίην θ' ἅμα κυλλήνόντε.
Οἳ μοῦνοι πόλεων μοιραγέται, ἠδὲ πάρεδροι
Μητέρος Ἰδαίης κεκλήαται, ὅσσοι ἔασι
Δάκτυλοι Ἰδαῖοι κρηταέες οὕς ποτε νύμφη
Ἀγχιάλη Δικταῖον ἀνὰ σπέος ἀμφοτέρησι
Δραξαμένη γαίης Οἰαξὶ ἐβλάστησε.

Accumulant aræ lapides, quam frondibus ornant
Quernis, & ſacris onerantes lancibus aram,
Dindymeam matrem placida mox voce vocarunt,
Incola quæ Phrygiæ eſt; Cyllenumque Titiamque
Qui ſoli fatis urbes, qui regna gubernant,
Matris & Idææ comites dicuntur, & iiſdem
Dactyli Idæi Cretes: quos Nympha creavit
Anchiale terram ſtringens Oeaxidis agri
Ambabus manibus Dictæo proxima colli.

Non abſurde is honos Rheæ habebatur, cum Rhea una eademque cum Terra exiſtimata fuerit, teſte hoc ipſo Apollonii Scholiaſte in voce γαίης. denique Rheam antiquitas celebravit ut matrem quatuor elementorum, inde dictam, quod fluxu quodam motuque perenni hæc rerum univerſitas adminiſtratur.

Hæc quæ diximus de Rhea, etſi vera ſunt, non tamen impediunt quominus Quercus, ut Claudianus ait, *ſit amica Jovi*. Hæc arbor videtur eſſe in tutela Jovis, quod is ubique dicitur pater, &

altor

altor hominum. Atque adeo primi homines hoc cibo, nempe duro, natalibuſque ſuis convenientiſſimo veſcebantur, quem illis Jupiter præ ceteris omnibus delegerat. Certe, autore Platone *lib. 2. de Repub.* præmium quo Deus donabat primævos illos homines, qui juſti eſſent, erat abundantia ejus fructus aliorumque commodorum quorum hæc arbor eſt ferax. Et quidem is citans Heſiodum ait.

Ἄκρας μέν τε φέρειν βαλάνους, μέσσας δὲ μελίσσας.

Summas (arbores) *ferre glandes : medias vero mella.*

Sylveſtribus arbuſtis inquit Symmachus *lib. 20. Epiſt. 59. vita producebatur; atque ad Dodonæas arbores plebis ruſticæ inopia convolabat, hoc eſt*, ad Quercus. Ovidius *lib. 4. Faſt.*

Panis erant primis virides mortalibus herbæ,
Quas tellus nullo ſollicitante dabant:
Et modo carpebant vivax e ceſpite germen;
Nunc epulæ e tenera fronde cacumen erant.
Poſt modo glans nata eſt: bene erat, jam glande reperta:
Duraque magnificas quercus habebat opes.

Apud Homerum *Odyſſ. μ.* cum Eurylochus & ſocii ſacra facerent, decerpſerunt folia Quercus, quia nulla ibi erat copia hordei.

Φύλλα δὲ δρεψάμενοι τέρενα δρυὸς ὑψικόμοιο,
Οὐ γὰρ ἔχον κρῖ λευκὸν ἐϋσσέλμου ἐπὶ νηός.

Certe Quercus, autore Plutarcho *in Coriol.* eſt τῶν μὲν ἀγρίων καλλικαρπότατον, τῶν δὲ τιθασῶν ἰσχυρότατον. *agreſtium* (arborum) *fructuoſiſſima, manſuetarum fortiſſi-*

tiſſima. Sed poſtea repertis frugibus, haud dubie fuit inter δένδρα ἄκαρπα, *arbores infructuoſas*. Nempe, ut Lucianus ait, nemo uſque eo deſipit ut fructum Quercus præferat ſpicæ. Hinc quoque priſca vox ἄλις δρυός, *ſatis quercus*: ac ſi nimium diu quercum homines eſitarint, ac ructarint; jamque adſit tempus tranſeundi ab illo victu ſordido ad vitam lautiorem elegantioremque.

Hæc de Quercus conſecratione: nonnulla dicamus de Coronis ex ea. Conſtat Coronam Civicam plexam fuiſſe ex Quercu. De Corona Civica ita Plinius *lib*. 16. *cap*. 4. *Civica iligna primo fuit, poſtea magis placuit ex eſculo Jovi ſacra. Variatumque & cum Quercu eſt, ac data ubique quæ fuerat, cuſtodito tantum honore glandis. Additæ leges arctæ & ideo ſuperbæ, quaſque conferre libeat cum illa Græcorum ſumma, quæ ſub ipſo Jove datur, cujque muros patria gaudens rumpit: Civem ſervare, hoſtem occidere: utque eum locum, in quo ſit actum, hoſtis obtineat eo die. Ut ſervatus fateatur: alias teſtes nil proſunt. Ut civis fuerit: auxilia, quanvis Rege ſervato, decus id non dant. Non creſcit honos idem Imperatore conſervato: quoniam conditores in quocunque cive ſummum eſſe voluerunt. Accepta, licet uti perpetuo. Ludos ineunti ſemper aſſurgi, etiam ab Senatu, in more eſt. Sedendi jus in proximo Senatui. Vacatio munerum omnium ipſi patrique, & avo paterno*. Coronam Civicam ex Quercu oſtendunt Numiſmata, inter alia plurima, hæc.

Veſpaſiani aureum Numiſma cum Corona Quercea ita inſcriptum, IMP. CÆS. VESPASIAN. AUG.

P. M.

P. M. TR. P. P. P. COSS. III. S. P. Q. R. P P. O B C. S.

Tib. Cæſaris Argenteum: TI. CÆSAR DIVI AUG. F. AUGUST. P. M. TR. P. XXXV. DIVO AUGUSTO S. P. Q. R. OB CIVES SER. S.C. Corona Quercea & duo Capricorni.

Claud. TI. CLAUDIUS CÆSAR AUG. P.M. T.R. P. IMP. P.P. EX S.C. OB CIVES SERVATOS. Corona Corcina, ſeu Quercea.

Cn. Piſonis Calphurniæ Domus Æneum, in quo Corona Quernea clare cernitur in actu exhibendi, veluti in ſignum meritorum, cum inſcriptione, OB SERVATOS CIVES.

C. Caligulæ præterea Numus Imperatorius, ubi cernitur Civica Corona cum glandibus adjunctas has literas habens, S. P. Q. R. OB C.S.

Vitellii Germanici Numus identidem apparet cum Civica Corona; cujus in medio ſculptæ hæ literæ, S. P. Q. R. OB. CIV. SERV.

Si forte quæras, quid ita Quercus eo dignitatis pervenerit: Plurarchus affert has cauſas: quod Quercus facile invenitur: quod Jovi, & Junoni ſacra eſt: quod is ritus ab Arcadibus fluxit, quibus quædam fuit cum hac arbore cognatio: quod hæc frons datur ſalutis gratia: quod eſt ſacra Jovi Polieo, hoc eſt, Civitatum gubernatori: Plutarchus *in Coriol.* Διὸς Πολιέως ἱρεὸν ὄντα τὸν τῆς δρυὸς στέφανον, οἰόμενοι ἐπὶ σωτηρίᾳ πολλῇ δίδοσθαι πρεπόντως.

Sacra Jovi quercus de ſemine Dodonæo

dicitur Ovidio *lib. 7. Metamorph.*

Eſt etiam Olympia corona quæ vocatur Quercus Capitolina : illam merebant poetæ ii, qui in agonibus Capitolinis poemate vicerant. Agones Capitolinos primum Domitianus inſtituit die duodecima Conſulatus ſui, & Serg. Cornel. Dolabellæ, exemplo Ludorum Olympicorum. In illis certabant Artifices generis omnis etiam Citharædi. Juvenalis.

An Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare.

Et Martialis *lib.* 4. *Epigram.* 54.

O cui Tarpejas licuit contingere quercus,
Et meritas prima cingere fronde comas.

Addidit huic arbori decus & autoritatem Ancus Martius Rex Romanus, qui uſu æris nondum reperto, primas leges Romanas & priſcos illos qualeſcunque ritus in querneis tabulis incidit. Apud Livium *lib.* 1. *Romulus ſpoliis ad quercum paſtoribus ſacram depoſitis, ſimul cum dono deſignat templo Jovis fines*: Olim detracta hoſtibus ſpolia non ad arborem aliam, quam ad Quercum ſuſpendebantur: Prærogativa autem hæc non aliunde niſi ex impenetrabili robore ejus. Virgilius *lib.* 10. *Æneid.*

. . . . . Tybri pater . . . . .
Hæc arma exuviaſque viri tua quercus habebit.

Et *lib.* 11.

Ingentem quercum deciſis undique ramis
Conſtituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuvias, tibi magne trophæum
Bellipotens.

Pa-

Papin. 11. *Thebaid.*

Quercus erat teneræ jam longum oblita juventæ,
Aggere camporum medio, quam pluribus ambit
Frondibus incurvis, & curvo robore cortex:
Huic læves galeas, perfoſſaque vulnere crebro
Inſerit arma ferens, huic truncos ictibus enſes
Subligat, & fractas membris ſpirantibus haſtas.

Non ſilendum, apud priſcos vix fieri mentionem Quercus, quin eadem quidpiam inſigne inibi demonſtretur. Et quidem in Sacra Hiſtoria memoratur illa Quercus, ſub qua Abraham *vidit diem Chriſti, & lætatus eſt*. Imo ibidem is ipſum Deum vidiſſe dicitur.

Pellem ſeu vellus arietis contactu Mercurii aureum factum ſuſtinuit Quercus, ut videri poſſet, hanc arborem præ ceteris huic dignitati fuiſſe deſtinatam. Apollonius Rhodius *lib.* 2.

- - - - - τὸν ῥα χρύσειον ἔθηκεν
Ἑρμείας, κῶας δὲ καὶ εἰσέτι νῦν κεν ἴδοισθε
Πεπλαμένον λασίοισιν ἐπὶ δρυὸς ἀκρεμόνεσσι·

Id quod his verbis vertit aut ſaltem imitatus eſt Valerius Flaccus *Argonaut. lib.* 5.

- - - - *at vellera Martis in umbra*
Ipſe ſui Phryxus monimentum inſigne pericli
Liquerat, ardenti quercum complexa metallo.

Facit ad laudem hujus arboris etiam illud: *loqui a Quercu & ad Quercum*, celebre cum apud Græcos tum apud Latinos; quod ſignificat, omni poſito metu & cum ſecuritate omni verba facere. Cum enim Quercus, ut dictum eſt, arbor ſit Jo-

vis ; qui ad hanc confugit, ibidem cenſetur in tuto eſſe , ac tanquam in tutela ſummi numinis . Memorat Livius *lib. 3. Dec. 1.* tres Legatos Roma ad Æquos ex fœdere res repetitum miſſos fuiſſe, quorum unus ab Æquorum imperatore juſſus eſt *dicere ad Quercum* , nempe ut ſe intelligeret tuto loqui quæ vellet poſſe . Sed cum Æquus alia interim acturum ſe diceret , ibi Legatus , *& hæc* , inquit, *ſacrata quercus , & quicquid Deorum eſt , audiant fœdus a vobis ruptum* . Ergo Quercus rei magnæ teſtis adhibita eſt .

CLASSIS VIGESIMA
DE
ARBORIBUS
ET
FRUTICIBUS
Flore Monopetalo.

SECTIO I.

De Arboribus & Fruticibus flore monopetalo, cujus piſtillum abit in fructum mollem, ſeminibus calloſis fœtum.

GENUS VIII.

Arbutus folio ſerrato C. P. Pin. 460. *Arbutus Comarus Theophraſti. I. B. 1. 83. Arbutus Dod. Pempt.* 804.

ARbuti vox vel primitiva eſt vel incertæ originis: nam ab Ἄρκευθος fieri non placet, cum Ἄρκευθος *Juniperus* ſit, non Arbutus. Virgilius arbutum pro fructu neutro genere dixit, arborem fœminino, contra Horatius fructum fœminino. *Ecl.* 7.

Et

Et quæ vos rara viridis tegit arbutus umbra.

Georg. 2.

. . . . . *dant arbuta ſylvæ.*

Od. 17. lib. 1. ad Tynd.

Impune tutum per nemus arbutos
Quærunt latentes.

Græcis dicitur Κόμαρος, παρὰ τὸ τὴν κόμην ἐν τῷ χειμῶνι *αἴρειν quod comam ſive cacumen hyeme viride obtineat.* Suidas κόμαρον fœminino genere *arbutum*, maſculino *cotinum*, ideſt, oleaſtrum, ſignificare docet. Apud Athenæum *lib.* 2. maſculino genere legitur, cum ſit fœmin. apud Theophraſtum

Ο' συκάμινος συκάμιν', ὁρᾷς, φέρει,
Ο' πρῖνος ἀκύλους, ὁ κόμαρος μιμαίκυλα.

Ceterum apud Græcos ἡ κόμαρος arbor, τὸ κόμαρον fructus. Οἴναρος etiam Theophraſto *lib.* 1. *cap.* 15. dicitur (ſicut proprie οἴναρον *vitis folium* eſt. Heſychius οἴναρα τὰ τῆς ἀμπέλου φύλλα) eo quia vapores emittit, quibus cerebrum lædit: Galenus enim ait ἔστι δὲ κακοστόμαχος καὶ κεφαλαλγής.

Arbuti fructus Græcis dictus μιμαίκυλον, ſic enim ſcriptum invenimus apud Athenæum & Euſtathium, quam lectionem ſequi libet. Varie admodum apud antiquos Autores ſcribitur. In nonnullis Codicibus μεμαίκυλον legitur, in aliis μεμάκυλον, in quibuſdam μεμήκυλον, alibi μαιμήκυλον, μεμύκοιλον, ἀπομάκυλα, μαιμαίκυλον, μεμύκηλον, μιμάκυλον. Hujus fructus Plinio *Unedo* dicitur, quod unum tantum pomum edatur. Servius ex Plinii ſententia *unedonem* appellari fructum arbuti. Indidem gloſſæ μεμαίκυλον *unedonem* expo-

exponunt (Latini Plinio anteriores arbuta paſſim vocare amant fructum arbuti, ut pyrum eſt fructus pyri, malum mali. Virgil. *Georg. lib.* 1.

. . . . . arbuta ſacræ
Deficerent ſylvæ . . . . .

Varro *lib.* 11. *de R.R. cap.* 1. *Ut ex arboribus, ac virgultis decerpendo glandem, arbutum, mora, pomaque colligerent ad uſum.*) At vero Galenus *lib.* 3. *de Alim. facult. cap.* 38. & Paulus Ægineta *unedonem* non arbuti pomum eſſe, ſed a ruſticis Italis ita vocari aſſerunt fructum ἐπιμηλίδος, quæ arbor longe differt ab arbuto. ἐπιμηλὶς, ἥτις καὶ οὐνέδων παρὰ τοῖς ἰταλικοῖς ἀγροίκοις καλεῖται. ἔστι δὲ οἷον ἀγρία μηλέα. *Epimelis quæ etiam ab Italis ruſticis vocatur, eſt quaſi malus ſylveſtris.* Hinc in diverſa abeunt Botanici, alii Plinio adverſantur, alii eum defendunt. Noſtra ſententia, inquit Cel. Joannes Rajus in *Hiſt. Plant. pag.* 1576, Unedo Arbuti fructus eſt, non Epimelidis: ſuſpecta ſiquidem nobis cum Jo. Bauhino videtur Galeni ſententia, quem ſcimus in Italia fuiſſe peregrinum, ideoque Plinio, qui Italus fuit, citius falli potuiſſe. Si autoritatem ſpectes, utrinque fere par pondus. At profecto non placet, inquit J. Bauhinus, Galenus Epimelidi Unedonis facultates & vires tribuens. Nam ſi Epimelis ſit Meſpilus (ut pleriſque doctis perſuaſum ſcimus) quis dicat ejus fructum noxam afferre capiti, aut ſtomacho eſſe moleſtum, quem plerique Medici ſtomacho familiarem dicunt? At forte Galenus de fructu nondum fracido locutus eſt, quo tempore vere Unedo dici poſſit; nam ne unus

qui-

quidem ejuſmodi fructus abſque difficultate & ſtrangulationis periculo tunc temporis edi poteſt; Arbuti autem fructus plurimi ſine noxa vorantur a nonnullis.

Ut redeam ad rationem nominis hujus *Unedo Pomum*, inquit Plinius *lib.* 15. *cap.* 24. *inhonorum*, *ut cui nomen ex argumento ſit unum tantum edendi*. Quod veriſimile non eſt: cum fructus tam exiguus ſit, citra noxam ſupra unum edi poſſe videtur. Athenæus caput tentare ſcribit, ſi plus quam ſeptem edantur. Dioſcorides & Galenus ſtomacho & capiti quidem adverſari tradunt, ſed numerum quantitatemque qua id præſtant, non addunt. Nomen *Unedo*, ſcribit κελτικώτατος Salmaſius *in Plin. Exercit.* a Majoris Græciæ incolis translatum in Latium: καρπὸς οἰνίζων illis vocabatur arbuti pomum, a vineo guſtu quem habet. Nam & οἴναρον Theophraſtus appellat τὸν κόμαρον. Aſclepiades apud Athenæum περὶ μιμαικύλων, quæ χαμαικεράσους ipſe appellari tradit: ὁ δὲ καρπὸς τοὺς πλείονι χρησαμένους, καθότι οἶνος βαρύνει τε τὴν κεφαλὴν, καὶ ἀλγεῖν τίθησι. Inde igitur οἰνίζων eſt *Unedon*. Nam & *unus* ſimiliter ex Græco οἶνος qui μόνον ſignificat: ζ in δ mutari Latinis tralaticium eſt, λαζοὶ *ladi*, βάζω *vado*, ὄζω *odo* & poſtea *olo*.

CHARACTER GENERICUS

Arbutus eſt plantæ genus, flore monopetalo, campaniformi, globoſo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum poſticæ floris parti adinſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ſubrotundum, carnoſum in quinque loculamenta diviſum, ſeminibuſque fœtum placentæ affixis.

Arbutus, quanvis locis nonnullis (ut in monte Atho, teſtante Bellonio) in juſtam arborem adoleſcat, plurimum tamen frutex eſt, contortis ſtolonibus ſcabro cortice intectis, in quibus perpetui viroris FOLIA, Laurinis ſimilia & paria fere, craſſa, virentia, per extremum tantillum purpuraſcentia, circumquaque eleganter crenata. FLORES tanquam ex amento racematim penduli, pulchri, ſimiles fere floribus Lilii convallium, concavi, albi, odoris jucundi. Hos excipiunt FRUCTUS Fragis ſimiles, ſed multo majores, exacte rotundi, acerosi, ante maturitatem lutei, maturi autem rubentes, ſapore valde grato & dulci præditi. SEMEN (ut ait Cluſius) milio non multo majus, inque fructus meditullio contentum, nihilominus tenui obductum membrana. DESCRIPTIO J. BAUHINI

Variat fructus magnitudine & ſapore VARIETAS

Paſſim copioſeque creſcit in Siciliæ, Italiæ, & Galliæ Narbonenſis ſylvis & dumetis. Scribit Bellonius, in monte Atho tantopere priſcis celebrato vallibus vicinis Arbutos (ut plurimum aliis locis fruticantes) in vaſtæ magnitudinis arbores evadere. LOCUS

Ex Arbuti foliis floribuſque aquam vitreis organis elici tradit Amatus, eamque ſervari tanquam ſacratiſſimam, adverſus peſtem & venenum antidotum. Matthiolus pulverem oſſis de Corde Cervi ei admiſcet. Eam vero aquam ſtatim morbi initio propinandam ajunt, VIRES

CLASSIS VIGESIMAPRIMA
DE ARBORIBUS ET FRUTICIBUS
Flore Roſaceo.

SECTIO I.

De Arboribus, & Fruticibus flore roſaceo, cujus piſtillum abit in fructum unicapſularem.

GENUS III.

Rhus folio Ulmi. C. B. Pin. 414. *Rhus ſive Sumach I. B.* 1. 555. *Rhus coriaria Dod. Pempt.* 779.

Ῥοῦς vel ῥόος a coccineo acinorum colore nomen habuit. A voce Græca ῥόος, Latinorum *rufus* manavit. Συριακὸς ῥοῦς Galeno *lib.* 6. κατὰ τόπους *cap.* 7. Rhus Syriaci meminit Scribonius Largus *compoſ.* 111. Marcellus Empiricus *cap.* 27. muliebri genere Rhus

Sy-

Syriacæ. (*Apud Columellam, & Palladium pro rore Syriaco lege rhoe Syriaco*) Plinius huic plantæ Latinum nomen nullum eſſe ſcribit *lib.* 24. *cap.* 11. *Nec rhus latinum nomen habet, cum in uſum pluribus modis veniat*. Græci eandem hanc plantam ἐρυθρὸν appellarunt. Dioſcorides *lib.* 1. *cap.* 147. ῥοῦς ὁ ἐπὶ τὰ ὄψα, ὃν ἔνιοι ἐρυθρὸν καλοῦσι. *Rhus, qui obſoniis inſpergitur, quemque nonnulli erythron* (ideſt rubrum) *appellant*. Doctiſſimus Gaza *fluidam* vertit, quaſi nomen a ῥέω illi impoſitum ſit. Contraria vi pollet, nec a ῥέω *fluo*, ſed a colore nomen habet, ideo ἐρυθρός.

Officinis *Sumach* dicitur, nomen ab Arabibus depromptum: Arabes enim *Sumac* vocant ipſum fruticem qui Græcis ῥοῦς. Quod ad Sumac Arabicum, inquit Salmaſius *lib. de Homon. Hyl. Jatr.* attinet, non fruſtra crediderim ex Latino detortum eſse ſeculi ſequioris, quo *ſummari* pelles dicebantur pro perfici & conſummari. Nam *ſummare* eſt πλεροῦν. Inde *rhus ſummacium*, coriis ſummandis & perficiendis idoneum. Gloſſæ *ſummare* πλεροῦν, κεφαλαιοῦν: ſummam & ultimam manum alicui rei imponere ſignificat. Poſtremum autem hoc in coriis ſubigendis ac veluti ſumma manus, cum tinguntur: quod & *perficere* Latini dicunt. Theophraſtus de hoc ipſo rhoe: βάπτουσι δὲ τούτῳ καὶ οἱ σκυτοδέψαι τὰ λευκὰ δέρματα. Plinius vertit: *pelles candidæ conficiuntur his*: alibi de hoc eodem rhoe: *cujus aridis foliis ut malicorio coria perficiuntur*. Hoc recens Latinitas dixit *ſummari*. Quod fortaſſe & proprium fuit verbum ac

τεχνικὸν Coriariorum. Inde σουμάκιον Græcis recentioribus pro σουμμάκιον, & frutex ipſe σουμαχία. Arabibus *Sumac*. Hactenus Salmaſius.

Antiqua eſt & valde agitata quæſtio, utrum plura rhois genera ſint, an duntaxat unum. Utraque opinio ſuos habet fautores viros etiam doctiſſimos, ac nititur etiam argumentis valde firmis. Qui plantas diverſas ſtatuunt, his fere utuntur rationibus. Nam plura rhois genera occurrunt in veterum Medicorum ſcriptis eaque cognominibus diſtincta. Alium vocant ῥοῦν μαγειρικόν, alium βυρσοδεψικόν, alium denique συριακόν. Cum hæc omnia ſimul genera in eadem ſyntheſi legamus, dubitandi locus non eſt, tres eſse has diverſas appellationes ejuſdem rei. Paſſim apud Myrepſum hæc tria ſimul mixta in eodem medicamento obſervantur. In Emplaſtro ad cœliacos & dyſentericos. ῥόδων τὸ ἄλδρον οὐγγ. δ ῥοῦ μαγειρικοῦ, ῥοῦ συριακοῦ, ῥοῦ βυρσοδεψικοῦ. In Emplaſtro iii. κιναμώμου, σιδίων, ῥοῦ μαγειρικοῦ, ῥοῦ συριακοῦ, ῥοῦ βυρσοδεψικοῦ. Galenus etiam in una eademque compoſitione utramque tam culinariam quam coriariam præſcribit, ut *lib.* 6. κατὰ τόπους *cap.* 2. *titulo quæ ad columellam ſive gurgulionem*: γενναιότατα δέ, inquit, καὶ κηκίδων. καὶ ῥοῦ ἐπὶ τὰ ὄψα, καὶ τῆς βυρσοδεψικῆς. *Generoſiſſimum eſt (decoctum) gallarum & rhois culinariæ & coriariæ*. Alium adducunt Galeni locum ſuffragantem aperte *ex libro & cap.* 1. *titulo de confectione pharmaci ex malis punicis & malis aliiſque ſtomachicis*: μάλιστα δὲ ἐπιτήδειός ἐστι ῥοῦς, εἴτε ἀρσενικῶς ἐθέλοις ὀνομάζειν αὐτὸν, εἴτε θηλυκῶς. ἔστι δὲ διττὸς, ὁ μὲν ἕτερος

ἐπι

ἐπιπαττόμενος τοῖς ὄψοις, εὐστόμαχος, ὁ δὲ ἕτερος τοῖς βυρσοδέψαις χρήσιμος. ἑκάτερος δὲ ἀνεψηθεὶς ἐν τῷ γλυκεῖ, στομαχικὸν ἐργάζεται φάρμακον. *Maxime vero aptus eſt rhus, ſive maſculino ſive fœminino genere ipſum velis nominare. Eſt autem duplex, alter obſoniis inſpergitur, ſtomacho commodus; alter a præparatoribus coriorum expetitur: uterque vero muſto incoctus ſtomachicum efficit medicamentum*. Hoc argumento motus Fucſius totidem genera rhois, quot eſſent cognomina, putavit. Evertit id omne Dioſcorides, qui *lib*. 1. *cap*. 147. rhun obſoniorum, quem μαγειρικὸν alii nominant, ſemen eſſe rhois coriarii affirmat. ῥοῦς ὁ ἐπὶ τὰ ὄψα, ὃν ἔνιοι ἐρυθρὸν καλοῦσι, καρπός ἐστι τῆς καλουμένης βυρσοδεψικῆς ῥοός. *Rhus qui obſoniis aſpergitur, quemque nonnulli Erythron appellant, fructus eſt rhois coriariæ*. Huic ſententiæ favet etiam Paulus Ægineta, qui Galeni ſcripta compendio collegit. In allato Dioſcoridis loco advertes genera hæc diſtingui. Frutex dicitur ἡ ῥοῦς, ſemen ὁ ῥοῦς. Sic ἡ κόκκος βαφικὴ de frutice: κόκκος *coccum* de grano tinctorio. Cum apud autores invenimus ῥοῦν μαγειρικὸν, de ſemine ipſo intelligendum cujus uſus ad obſonia: cum ῥοῦν σκυτικὴν aut βυρσοδεψικὴν, de frutice ipſo cujus folia perficiendis coriis adſumebantur. Græci, qui proprie locuti ſunt, hanc generis diſtinctionem ad utrumque exprimendum diligenter ſervarunt; recentiores vero neglexerunt: ut videre eſt in Myrepſo qui indiſcriminatim ῥοῦν μαγειρικὸν & ῥοῦν βυρσοδεψικόν, Hanc generis differentiam in rhoe planta, & rhoe ſemine etiam Theophra-

phraſtus agnoſcit. ἔχει δὲ τὸ φαρμακῶδες τοῦτο ὃ καλεῖται ῥοῦς ἐν αὐτῷ ὀστῶδες, ὃ δὲ τῆς ῥοῦ διηθημένης ἔχει πολλάκις.

CHARACTER GENERICUS

Rhus eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in capſulam ſubrotundam, quaſi reniformem, ſemine fœtam ejuſdem formæ.

DESCRIPTIO J. BAUHINI

Rhus arbuſcula eſt, altitudinem hominis ſuperans, parvulis ramis, ſubhirſuto cortice, potiſſimum circa faſtigia veſtitis; e quibus FOLIA alternatim exeunt alata, quinque aut ſex conjugationibus ex intervallo longiuſculo diſpoſitis conflata, coſtæ tenui hirſutæ hærentia; ſingularia folia oblonga, acuminata, hirſuta, ſerrata. Ramulorum faſtigia inter folia FLORES ſuſtinent racematim congeſtos, Sambucinis ſimiles (Cæſalpino rubri & minuti) quos & racemoſa grana excipiunt, orbiculata, Lenticulæ modo compreſſa, rubentia, medulla exigua, cuticula acidi ſaporis obducta. Radix haud alte deſcendit per ſumma ceſpitum hærens.

Cluſius magnum ejus proventum Salmaticenſi agro eſſe, illicque quæſtus gratia diligenter coli obſervavit. Multi, inquit, agri eo conſiti, nec minore ibi cura, quam vineta: alioqui nec tam late aſſurgit, & ſi cultura abſit, degenerat ac ſylveſcit.

USUS

Hujus fruticis folia tenerioreſque ſurculos non minus olim quam nunc dierum ad coria ſpiſſanda perficiendaque celebres fuiſſe, nos docent Theophraſtus, Dioſcorides, Plinius.

Fo-

Foliis, & fructibus plantæ hujus utitur Medicina : partium decoctum utiliſſimum eſt in fluxu ventris & dyſenteria : ſiſtit ſanguinis & hæmorrhoidum fluentium curſum immodicum. Fructus Sumac inter pſyctica ſunt : racemus ejus in aqua frigida maceratur, quæ aqua bibitur ſalubriter in quavis hæmorrhagia. Hæc infuſio prodeſt contra ſcorbutum, intus & extra adhibita. VIRES

CLAS-

CLASSIS VIGESIMASECUNDA DE ARBORIBUS ET FRUTICIBUS

Flore Papilionaceo.

SECTIO II.

De Arboribus & Fruticibus flore leguminoſo, folio terno ſingulis pediculis innaſcente.

GENUS II.

Cythiſus hirſutus J. B. 1. 372. *Cythiſus foliis ſubrufa lanugine hirſutis*, *C. B. Pin.* 390. *Cythiſus* III. *Cluſ. Hiſt.* 94.

PLinius Cythiſum a Cythno inſula, in qua inventus eſt, dictum vult: ſic enim ait *lib.* 13. *cap.* 24. *Inventus hic frutex in Cythno inſula, inde translatus eſt in omnes Cycladas, mox in urbes Græcas magno caſei proventu: propter quod maxime miror ra-*

rum

rum eſſe in Italia. Non æſtuum, non frigorum, non grandinum, aut nivis injuriam expaveſcit: adjicit Hyginus, ne hoſtium quidem, propter nullam gratiam ligni. Malunt alii a Cynthyſa inſula, quæ e Cycladibus eſt, nomen accepiſſe. Trifolius (inquiunt) iſte frutex lotuſve gentilem cognominis inſulæ Cynthyſæ, quæ una e Cycladibus eſt, appellationem fatetur. Unde reliquæ Græciæ Latioque factus communis fuit, & mirum quanti putatus ad pecoris paſtiones, lactis, & prolis proventum.

Græcis dicitur Κύτισος, aliquando etiam Κύθισος, Poetis vero κύθηλος. Jo. Bodæo a Stapel nomen impoſitum videtur παρὰ τὸ ἴσως τιθῦς κύειν. Alia nomina apud Græcos habuiſſe docet Columella *cap.* 28. *Cytbiſum quem Græci aut* ζέας *aut* καρνίκην *aut* τρυφερὴν *vocant* (alii legunt pro ζέας, ξία, & pro τρυφερὴν, τελφέρην) *quam plurimum habere expedit, quod gallinis, apibus, ovibus, & omni generi Pecudum utiliſſimus eſt.* Ut rationem nominum illorum perpendamus, dicendum arduum eſſe imaginari unde ξίον nomen acceperit. Si vero ſcriptum fuit ζέαν, ut veriſimile eſt, nomen hoc deduci poteſt, ut alias omittamus conjecturas, ἀπὸ τῦ ζέειν vel ζεῖν, quod *fervere, ardere* ſignificat, quod avide magnoque cum ardore expetatur a pecore: καρνίκη dicitur quaſi καρνῦ νίκη *victoria pecoris:* ob eandem rationem a nonnullis ἀρνόφυλλον appellatur. Heſychius, ἀρνόφυλλον, κύτισον· ἔςι δὲ πόα θαμνώδης, nomen impoſitum quod oves capræque libenter folia Cytiſi comedant. Virgilius *Ecl.* 2.

Torva leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam:
Florentem cythiſum ſequitur laſciva capella.

Cum mollis delicatuſque ſit, τρυφερὴ vocatur: ſin legamus cum multis τειφέρλω, tum nomen a tribus, quibus cythiſus præditus foliis. Gaudet etiam aliis nomenclaturis. Auctarii autor, οἱ δὲ τηλίνλω, οἱ δὲ λωτὸν μέγαν, οἱ δὲ τείφυλλον.

CHARACTER GENERICUS

Cythiſus eſt plantæ genus flore papilionaceo, e cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam planam, in duas partes dehiſcentem, ſeminibuſque fœtam planis & oblongis. His notis addenda ſunt folia terna ſingulis pediculis innaſcentia, Feni Græci aut Loti trifoliæ æmula, ut ait Dioſcorides. Differt a Geniſta foliis ternis, ab Anonide vero ſiliquis planis. Cythiſi ſpecies flore fructuque carentes foliis ternis, ſingulis pediculis inſidentibus dignoſci ſolent, maxime ſi fruteſcant.

DESCRIPTIO J. BAUHINI

Trium & quatuor cubitorum VIRGIS nigricantibus, hirſutis, non admodum fruticoſis, neque lentis donatus eſt. Folia terna, nonnihil oblonga, hirſuta utrinque (Cluſio ſupina parte viridia, prona ſubrufa lanugine hirſuta). FLORES in ramulorum faſtigiis potiſſimum fert, licet & ad latera interdum habeat, plures ſimul congeſtos, magnos, luteos (aureo colore fulgentes Cluſius) e CALYCIBUS longis, lanuginoſis. SILIQUAS vero longis pilis obſitas, ſeſcuncia longiores, paulo triente unciæ latiores, per maturitatem nigricantes, SEMINA claudentes Geniſtæ ſeminibus paria, ſubnigra ex obſervatione Parkinſonii.

Hanc

Hanc ſpeciem Cluſius ſolummodo ad montium radices circa Calpen & in Beticæ maritimis florentem invenit. LOCUS

Quod ad Facultates, copioſum lac generare Cythiſum docet Columella *lib.* 5. *cap. ultim. Cythiſum in agro eſſe quamplurimum maxime refert, quod gallinis, apibus, capris, bubus quoque & omni generi pecudum utiliſſimus ſit, quod ex eo cito pingueſcit, & lactis plurimum præbet ovibus, tum etiam quod octo menſibus viridi eo pabulo uti & poſtea arido poſſis. Mulieres quidem ſi lactis inopia premuntur, Cythiſum aridum in aqua macerare oportet, & cum tota nocte permaduerit, poſtero die expreſſi ſucci ternas heminas permiſceri modico vino, atque ita potandum dari: ſic & ipſæ valebunt, & pueri abundantia lactis confirmabuntur.* Plinius hoc confirmat *lib.* 13. *cap.* 24. *Frutex eſt & Cythiſus ab Ariſtomacho Athenienſi miris laudibus prædicatus pabulo ovium, aridus vero etiam ſuum: ſpondetque jugero ejus annua H-S vel mediocri ſolo reditus. Utilitas, quæ ervo, ſed ocyor ſatietas, perquam modico pingueſcente quadrupede, ita ut jumenta hordeum ſpernant. Non ex alio pabulo lactis major copia aut melior, ſuper omnia pecudum medicina a morbis omni uſu præſtante. Quin & nutricibus in defectu lactis aridum atque in aqua decoctum, potui cum vino dari jubet: firmiores celſioreſque infantes fore. Viridem etiam gallinis, aut ſi aruerit, madefactum. Apes quoque nunquam defore Cythiſi pabulo contingente promittunt Democritus & Ariſtomachus.* FACULTATES

Bb 2 IN.

INDEX
HERBARUM
IN QUIBUS SPECIMEN DATUR.

MAlva vulgaris, flore majore, folio ſinuato. I.B. Pag. 64
Verbaſcum mas, latifolium, luteum. C.B. 72
Scrophularia aquatica major. C.B. 78
Verbena communis cæruleo flore. C.B. 81
Burſa paſtoris major folio ſinuato. C.B. 90
Papaver erraticum majus, ῥοιὰς *Dioſcoridi, Theophraſto, Plinio. C.B.* 94
Cicuta major. C.B. 102
Lychnis coronaria vulgo I.B. 110
Aſphodelus albus, ramoſus, mas. C.B. 113
Lupinus ſativus, flore albo. C.B. 119
Viola Martia purpurea, flore ſimplici odorato. C.B. 125
Artemiſia vulgaris, major, caule & flore purpuraſcentibus. C.B. 134
Sonchus lævis, laciniatus, latifolius. C.B. 141
Aſter omnium maximus, Helenium dictus. 144
Lapathum folio acuto criſpo. C.B. 148
Filix non ramoſa, dentata. C.B. 152

Fu-

Fucus, ſive alga latifolia, major dentata. I. R. 159
Lentiſcus vulgaris. C. B. 162
Quercus latifolia mas, quæ brevi pediculo eſt. C. B. 169
Arbutus folio ſerrato. C. B. 181
Rhus folio Ulmi. C. B. 186
Cythiſus hirſutus. I. B. 192

FINIS.

51004